DE RATIONE INTER SENECAM ET ANTIQVAS FABVLAS ROMANAS INTERCEDENTE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS STRAVSS

ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS CAROLI BOLDTII.

MDCCCLXXXVII.

Referent: Prof. Leo.

FRIDERICO LEO

S.

L. Annaeum Senecam tragicorum Romanorum veterum rationem habuisse eorumque vestigiis saepius institisse in fabulis conscribendis O. Ribbeckius in libro qui inscribitur *Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik* pro certo affirmavit et pluribus locis exposuit. quae sententia num sit recta a viris doctis quantum video nondum disceptatum est; certe Fridericus Leo in observat. crit. de Sen. trag. nihil omnino ut Ribbeckii sententiam infringeret attulit. hoc officium a doctissimo illo viro magis relictum ei qui posthac similibus studiis incumberet quam omissum equidem, cum iam antea quaestionibus Annaeanis curam dedissem, suadente Leone libenter subii. omni igitur ex parte rebus diligenter pervestigatis et perpensis eo denique perveni ut persuasum mihi habeam Ribbeckii sententiam nullo modo stare posse. quibus vero causis commovear ut ita iudicem statim aperiam. hac vero in re si non nulla haud ita arte coniuncta cum proposito, attamen non nimis remota respiciam facile mihi ignosces.

Atque primum quidem liceat mihi trita ac nota repetere, quippe quae non parvi momenti sint. scis Augusti aevo permagnam evenisse artis poeticae commutationem: alias vias ingrediuntur poetae, alio ingenio, aliis legibus canunt. nova proferre volunt: quibus in studiis eventum eo prosperiorem habituros se esse confidere poterant, quo acrius id agebant, ut prisca quae usque ad id tempus in

gratia erant opera prae recentibus reprimerent. quae cum ita sint fieri non potuit quin tragoediae quoque Romanae antiquae auctoritas et honor magis magisque imminuerentur: novum tragoediae genus exoriri videmus quod omnia quae in priore frustra quaerebantur suppeditat. Ennii Pacuvii Accii fabulas si memineris Ciceronis adhuc aetate (quamvis iam tum fuisse qui fabulas illas contemnerent e Cic. Tusc. III 19, 45 appareat) in summo honore habitas sequentibus iam temporibus prorsus esse despectas, luculentum sane habes documentum, quantum temporum condicio commutata paulatim et in fabulis convertendis valuerit. sed ne pluribus singula explicem, Horatii, poetarum censoris, verba in memoriam tibi revocare satis habeo. conferas quaeso ep. II, 1, 18 sq., ubi perstringit perversum studium semper laudibus efferendi vetera, praesentia despiciendi. in Ennii quoque Acciique iambis offendit art. poet. 258 sq. eodem spectant quae Ovidius de Ennio dicit amor. I 15, 19 sq.; trist. II 423 sq.; ibid. 259 sq.[1]). subsequentibus autem annis plerique viri docti ab antiqua tragoedia prorsus abhorruerunt, quippe qui poetas Romanos fere nullos probarent neque imitarentur nisi Augusteos. optime id illustratur Taciti dial. cap. 20, ubi M. Aper, saeculi sui novorumque rhetorum patronus, pronuntiare non dubitat: *exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus. horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit.* et 21: *Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum in tragoediis sed etiam in*

---

[1]) addere libet certum mihi videri, Ovidium tragicos Romanorum antiquos plane aspernatum nihil ex iis in usum suum vertisse. Graecis debebat pleraque, alia Vergilio qui quidem ipse veteres illos Romanos saepissime respexit. alii contrariam sententiam defendunt ut Ribbeckius in Trag. Rom.

orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est. cf. Pers. sat. I 77:

sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta.

item Martial. XI 90, inprimis v. 6:

Accius et quidquid Pacuviusque vomunt. sq.

sic illi, et Senecam censes fuisse minus iniquum, qui si quis alius signum sui temporis, ut ita dicam, fronti impressum habeat? sed evincamus oportet quae diximus argumentis quae Senecae scripta praebent. inspiciamus igitur libros Annaeanos pedestri sermone compositos et quae in iis ad tragicos pertinentia inveniuntur in examen vocemus; quibus ea quam res poscit cura pervestigatis animum convertamus ad fabulas.

I.

Ac primum quidem Senecae librorum pedestrium sermonem primo iam obtutu vides ubertate florere ornamenti poetici quod maxima ex parte congestum est e Vergilio Ovidio Horatio, interdum e Lucretio, tragicorum vero memoriam fere nusquam aut perraro extare invenies. qui autem in libris istis insunt loci huc spectantes omnes adeo non hanc prae se ferunt naturam ut Senecam fabulas ipsas lectitasse ostendant, ut e contrario e recentioribus fontibus fluxisse videantur. atque ut enumerare incipiam, afferam primum et ad verbum transcribam, quia apertissime demonstrat quid existimet Seneca de Ennii versibus, fragmentum 110—15 citatum a Gellio noct. Att. XII 2,[1])

[1]) in afferendis locis depromptis e natur. quaest. libris, epistulis, fragmentis, Haasii editionem secutus sum, e libris de beneficiis et de clementia, e dialogis Gertzii, ex apocolocynthosi Buecheleri.

ubi rhetor ab illo antiquitatis assecla valde vituperatur: *in libro 22 epistularum moralium quas ad Lucilium composuit deridiculos versus Q. Ennium de Cethego, antiquo viro, fecisse hos dicit:*

— is dictust ollis popularibus olim
qui tum vivebant homines atque aevum agitabant
flos delibatus populi suadaeque medulla.

ac deinde scripsit de iisdem versibus verba haec: 'admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus et hos refert.'[1] *atque id etiam de Cicerone dicit: 'non miror, inquit, fuisse qui hos versus scriberet cum fuerit qui laudaret; nisi forte Cicero, summus orator, agebat causam suam et volebat hos versus videri bonos.' postea hoc etiam addidit insulsissime: 'apud ipsum quoque, inquit, Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam ex quibus intellegas illum non perdidisse operam quod Ennium legit.' ponit deinde quae apud Ciceronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in Republica: 'ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas.' et quod alio loco dixerit: 'breviloquentiam in dicendo colat.' atque ibi homo nugator Ciceronis errores deprecatur et: 'non fuit, inquit, Ciceronis hoc vitium sed temporis: necesse erat haec dici cum illa legerentur.' deinde adscribit Ciceronem haec ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lascivae orationis et nitidae. de Vergilio quoque eodem in loco verba haec ponit: 'Vergilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis.' sed iam verborum Senecae piget, haec tamen inepti et insubidi hominis ioca non praeteribo: 'quidam sunt, inquit, tam magni sensus Q. Ennii ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere.' et cum reprehendisset versus quos supra de Cethego posuimus: 'qui huiuscemodi, inquit, versus amant,*

---

[1]) vide Cic. Brut. 15, 58, cf. Enn. annal. IX v. 303 sq. ed. Vahlen.

liqueat tibi eosdem admirari et Soterici lectos.'[1]) e. q. s. non annales igitur Ennii, sed Ciceronis librum usurpavit Seneca. idem aperte accidit ep. 108, 30. Seneca postquam exposuit quomodo Ciceronis librum de republ. philologus aliquis pertractaturus sit, quomodo grammaticus, philosophus, de grammatico haec addit (33): *deinde Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos:*

cui nemo civis neque hostis
quivit pro factis reddere o p i s pretium.

ex eo se ait intellegere apud antiquos non tantum auxilium significasse opem, sed operam: ait enim Ennius neminem potuisse Scipioni neque civem neque hostem reddere operae pretium. felicem deinde se putat quod invenerit unde visum sit Vergilio dicere:

quem super ingens
porta tonat caeli.

Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium. esse enim apud Ciceronem in his ipsis de republica libris hoc epigramma Ennii:

si fas endo plagas caelestum accendere cuiquam est,
mi soli caeli maxima porta patet.[2])

neque alia est ratio loci qui legitur de benef. IV, 27, 2: *itaque errant illi qui interrogant Stoicos: quid ergo? Achilles tumidus est? — — — quid ergo? Fabius*

---

[1]) novum istis addas indicium, verba dico in dial. de ira III 37, 5 prolata haec: *non aequis quendam oculis vidisti, quia de ingenio tuo male locutus est: recipis hanc legem? ergo te Ennius quo non delectaris odisset, et Hortensius (si orationes eius improbares) simultates tibi indiceret, et Cicero si derideres carmina eius inimicus esset.*

[2]) reliquiae librorum de republ. nec hunc nec illum locum servarunt. prioris autem epigrammatis primam particulam *hic est ille situs* praebet Cic. de leg. II 22, 57 et posterioris primum distichon idem in Tusc. V, 17, 49. coniunxit Scaligerus. locum Annaeanum, ubi tradita est scriptura o p e r a e, emendavit Vahlenus. cf. Enn. epigr. II. III p. 163. et ann. v. 596 p. 86. ed. Vahlen.

qui 'cunctando restituit rem' temerarius est? q. s. scis hanc esse partem versus Enniani:

unus homo nobis cunctando restituit rem (ann. IX 313 V.)

quem Cicero solus ter attulit, de off. I 24, 84; Cat. mai. 4, 10; ep. ad. Att. II 19, 2. notissimum vero eum fuisse patet permultis e testimoniis, sicuti e Verg. Aen. VI 845:

tu Maximus ille es
unus qui nobis cunctando restituis rem.

cf. Ovid. fast. II 241 sq. Liv. XXX 26 de Fabii excessu: *sic nihil certius est quam unum hominem n. c. r. restituisse sicut Ennius scribit.* adice Divum Augustum in epistula quadam ad Tiberium, quam Suet. Tiber. 21 profert, eundem versum usurpasse substituentem pro *cunctando* vocem *vigilando.*

Quae adhuc attuli fabulas quidem non spectant, sed quam arte cohaereant cum quaestione quam tractamus apparet. scilicet didicimus et quanto in despectu fuerit apud Senecam Ennius et versus ad verbum redditos e Ciceronis libris esse repetitos. minime vero ex observationibus illis quas tanquam ex suo Seneca addidit sequitur libros eum Ennianos evolvisse. recorderis enim quaeso quot illius poetae versus in Ciceronis scriptis extent, unde Seneca facillime iudicium suum de Ennio potuerit capere. praeterea Seneca de Ennio prorsus idem sentiebat quod aequales. rationem denique Vergilium inter et Ennium intercedentem nemo ignorabat: in commentariis saltem qui tum ferebantur Vergilianis expositam fuisse eam Servius et Macrobius testantur (cf. append. editionis Ribbeckianae). et laudare iuvat historiolam illam quam legimus in appendice vitae Vergilianae e Probi commentario repetitae (Sueton. reliq. ed. Reifferscheid. p. 67) *cum is* (sc. Vergil.) *aliquando Ennium in manu haberet rogareturque, quidnam faceret, respondit se aurum colligere de stercore Ennii: habet enim poeta ille egregias sententias sub verbis non multum ornatis.* (Senecam similiter iudicasse vidisti pag. 8).

Quae hucusque de Senecae studiis Ennianis dixi non opinor tibi continget ut sequenti loco evertas. in epist. enim 58, 1 sq. Seneca demonstraturus multas res nomina a Romanis vel omnino non accepisse vel accepta iam dudum perdidisse formas affert nonnullas a Vergilio usurpatas easque suo iam tempore exstinctas veluti *asilus, cernere ferro inter se.* deinde pergit (5): *non id ago nunc hac diligentia, ut ostendam quantum temporis apud grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intellegas quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque* (sc. Vergil.) *qui cotidie excutitur aliqua nobis subducta sint.* istis e verbis minime si quid video sequitur scriptorem, ut pro certo illud pronuntiaret, operam dedisse Ennii Acciique carminibus. nota nimirum de utroque poeta res erat.

Iam locos ad tragoediam spectantes contemplemur, e quibus in exordio ponam ep. 8, 8: *quam multi poetae dicunt quae philosophis aut dicta sunt aut dicenda! non adtingam tragicos nec togatas nostras. habent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter comoedias ac tragoedias mediae. quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet! quam multa Publilii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt!* q. s. similibus verbis Seneca utitur dial. IX, 11, 8: *Publilius, tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora et hoc ait: cuivis potest accidere quod cuiquam potest* (eundem versum invenis dial. VI, 9, 5). quae omnia repetiit ex patris libro, cf. contr. VII 3, 8 (ed. Kiessl.) *Cassius Severus, summus Publili amator, aiebat non illius hoc vitium esse, sed eorum qui — — [non imitarentur] quae* *apud eum melius essent dicta quam apud quemquam comicum tragicumque* *aut Romanum aut Graecum; ut illum versum quo aiebat unum versum inveniri non posse meliorem:*

tam dest avaro quod habet quam quod non habet;

et illum de eadem re dictum:

desunt luxuriae multa, avaritiae omnia et q. s. (cf. Sen. ep. 108, 8).

Tales versus e mimis excerptos notum est in L. Senecae libris saepius extare. quae res qui explicetur iam non quaeres; mimos enim eius aetate cum praevaluisse in scaena tum Senecae, ut cui rhetori idem esset sententiarum singularium studium, summopere placuisse omnes norunt.

Transeo ad singulos versus repetitos e tragoediis quales perraro reperiri supra admonui. et primum animadvertamus ep. 102, 14 sq., ubi differentia quae est inter voces laus et laudatio explicatur: *laudat qui laudandum esse iudicat. cum tragicus ille apud nos ait, magnificum esse* l a u d a r i a l a u d a t o v i r o, *laude digno ait. et cum aeque antiquus poeta dicit: laus alit artes.* et q. s. quorum priorem versum e Naevii Hectore Proficisc. (frg. 2 v. 17. Ribb.) allatum Cicero ter exhibet, primum Tusc. IV 31, 67: *aliter enim Naevianus ille gaudet Hector: 'laetus sum laudari me abs te, pater, a laudato viro'*; deinde ep. ad. fam. V 12, 8. Cicero enim a Lucceio petens ut nomen suum resque a se gestas celebret inter alia etiam haec dicit: *sed grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. placet enim Hector ille mihi Naevianus* q. s. denique ibid. XV 6, 1, ubi Catoni gratias agit quod, cum in senatu de supplicationibus suis decretum sit, egregie de se locutus sit. potest igitur ex Cicerone versum accepisse Seneca quem novisse Tusc. disput. certum sit. impeditior quaestio de epistulis ad fam., quas iam pridem publici iuris factas esse constat.[1]) licet nusquam a Seneca adferantur. sed epistulas ad Atticum commemoravit, cf. Sen. ep. 21, 4. 97, 3. 118, 1; 2. — denique de brev. vit. 5, 2: *quam flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum epistula iam victo patre Pompeio — 'quid agam', inquit, 'hic, quaeris? moror in*

[1]) e. g. Seneca pater suas. 1, 5 citat C. Cassii ep. ad M. Ciceronem missam quae nunc extat Cic. ep. ad fam. XV 19. nota quaestio de collectione universa singulisve.

Tusculano meo semiliber.' hoc de loco controversiam esse scis inter viros doctos. nam cum editio quae nunc circumfertur eum non exhibeat, Lipsius et qui eum secuti sunt coniecturam protulerunt hance: *in quadam ad Axium epistula.* sed non dubitari debet quin de Atticiana agatur (cf. Buecheler. Mus. Rhen. 34 p. 352 sq.), quare aut statuendum est epistulam illam non ad nos pervenisse, id quod Gertzius qui nuperrime edidit dialogos voluit, aut adsentiendum est Buechelero contendenti Senecam iam ante annum 49 dialogum illum scribentem, cum epistularum collectio ista circa a. p. Chr. 60 in publicum esset data, paullo inaccuratius locum (ep. ad Att. XIII, 31, 3[1]) citasse Ciceronianum), quem unde novisse potuerit nescimus. quam Buecheleri argumentationem totam me amplecti confiteor.

Sed ut unde aberravit oratio redeamus, perpensites velim locum hunc (ad Polyb. 11, 2; 3): *'quanto ille iustior qui nuntiata filii morte dignam magno viro vocem emisit:*

ego cum genui tum moriturum scivi

— — — *deinde adiecit rem maioris et prudentiae et animi:*

et huic rei sustuli.

versum quem duobus aliis continuatum Cicero adfert Tusc. III 13, 28 (cf. 24, 58) Ennii Telamoni vindicandum esse constat. (inc. inc. frg. 45 v. 85; Ribb., eiusdem Trag. Rom. p. 133.) Seneca autem non dubito quin sumpserit illum versum e Ciceronis loco modo citato. exponit enim Cicero Epicureorum et Cyrenaicorum de aegritudine diversas sententias et *Cyrenaici,* inquit, *non omni malo aegritudinem effici censent sed insperato et necopinato. est id quidem non mediocre ad aegritudinem augendam: videntur enim omnia repentina graviora. ex hoc et illa iure laudantur:*

ego cum genui tum morituros scivi et ei rei sustuli et q. s. eodem modo Sen. 11, 1 init. *at inopinanti ereptus est.* et ut homini mortem subitam videri non posse nec debere

[1]) quem integrum hic afferam: *obsecro abiciamus et semilibri saltem simus.*

demonstret ponit illum versum. quid? nonne mirumst quod in sententiarum conexu fere simili Seneca eundem v. adhibet quem Cicero? et si omnia ab utroque dicta contuleris concedes opinor non fortuito factum esse consensum, immo Senecam Ciceronis locum respexisse et ab eo tam sensum quam versum mutatis scilicet mutandis esse mutuatum. vide, ut exemplis probetur, Cic. 17, 36: *ne iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci, quae tamen ita dicet dupliciter esse te iniustum, cum et alienum appetas, qui mortalis natus condicionem postules immortalium et graviter feras te quod utendum acceperis reddidisse.* eodem solacio Senecam utentem videmus et deinde dolorem exemplis lenientem ut Cic. 24, 58 suadet et ibid. primam istius versus particulam laudat. (et de Anaxagora: *quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: 'sciebam me genuisse mortalem'* (Cic. l. c. 30) videas Sen. de remed. fortuitor. lib. 13, 8: *acerba morte filii deiectus sum. an non Anaxagoram audieras? an oblitus eras te genuisse mortalem?*)

Accedam ad Divi Claudii apocol. 8 extr.: *quid in cubiculo suo faciat nescit, et iam caeli scrutatur plagas.* quod dictum ab Ennio in Iphigenia fabula (frg. 8 v. 199 sq. R.):

quod est ante pedes noenu spectant, caeli scrutantur plagas

usurpatum praeter alios Cicero citavit de div. II 13, 30 et de re publ. I 18, 30, cui libro Senecam intentiorem dedisse operam scimus.

E Pacuvio Seneca nihil exhibet nisi inter argumenta ponimus de rem. fort. 8, 2: *non eris in patria. patria est, ubicunque bene est,* id quod fere iisdem verbis redditur de morib. 43; convenit hoc fragmento servato e Pacuvii Teucro (inc. inc. fab. 49 v. 92): *patria est, ubicunque est bene,* quod et ipsum memoriae tradidit Cicero Tusc. V 37, 108. ceterum non multum valere istam consensionem constat, cum satis notum sit tales voces prae se tulisse Cynicos et Stoicos quorum asseclam Seneca semper se confessus est.

Veniamus iam ad Accii versum in Atreo fabula extantem, qui Senecae notissimus esse debuit, licet fabulas Accianas neglexerit, illum dico: *oderint, dum metuant.* primum se offert de ira I 20, 4; 5: *non aliquae voces ab iratis emittuntur quae magno emissae videantur animo? [immo] veram ignorantibus magnitudinem, qualis illa dira et abominanda: Oderint, dum metuant! Sullano scias saeculo scriptam.*[1]) *nescio, utrum sibi peius optaverit, ut odio esset, an ut timori. 'oderint' — — — quid? dum pareant? non; dum probent? non; quid ergo? 'dum timeant.'* haud absimili modo invehitur Cicero Phil. I 14, 33; 34 in Antonium quod ignorans verum iter gloriae metui malit et in odio esse, metui vero esse invidiosum, detestabile e. q. s. deinde versum affert. praeterea conferas de off. I 28, 97; pro Sest. 48, 102 (cf. Accii Atrei fragm. 5 v. 203 sq.). ac non minus saepe Seneca illud dictum usurpat: de clem. I 12, 4, ubi quid sit discrimen inter regem et tyrannum exponitur *et* (tyrannus), inquit, *illo exsecrabili versu qui multos praecipites dedit utitur: 'oderint, dum metuant.'* et eiusd. l. II 2, 2: *illud mecum considero multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam pervenisse celebresque vulgo ferri, ut illam: o. d. m. cui Graecus versus similis est eius qui se mortuo terram misceri ignibus iubet, et alia huius notae.* etiamnunc extat versus quem Seneca ita transtulit, cf. trag. adesp. 430 N:

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί·
οὐδὲν μέλει μοι· τἀμὰ γὰρ καλῶς ἔχει·

(Cic. de fin. 3, 19, 64: *vox inhumana et scelerata ducitur eorum qui negant se recusare quominus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur, quod vulgari quodam versu*

---

[1]) hoc e verbo, ut iam monuit Ribbeckius trag. Rom. p. 450 adn., non sequitur Senecae notum exploratumque fuisse quo anno conscripta sit illa fabula. quam poetam ca. an. ante Chr. 139 Pacuvio Tarenti recitasse Gellius (XIII, 2, 3 sq.) testis est. Seneca igitur, cum aperte Sullae tyrannidem in mente habeat, totam saeculi Sullani naturam condicionemque voce ista describi vult.

Graeco pronuntiari solet. praeter alios cf. Suet. de Ner. 38 qui narrat tyrannum illum cum urbem incenderet dicente quodam in sermone communi primum versum adiecisse 'immo ἐμοῦ ζῶντος.' quid plura? constat versum Accianum proverbium fuisse tritissimum quod Caligulae solebat in ore esse (Suet. Calig. 30. Dio 58, 23) et Tiberio mutanti: *oderint, dum probent.* (Suet. Tib. 59). forte huc Seneca respicit loco supra laudato *quid? dum pareant? non; dum probent?*

Locum iam sum allaturus multis modis a viris doctis tractatum, epist. 80, 7 sq. scriptor ut humanae vitae mimum illustret histrionis exemplo utitur: *ille,* inquit. *qui in scaena latus incedit et haec resupinus dicit:*

en impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
qua ponto ab Helles atque ab Jonio mari
urgetur Jsthmos,

servus est: quinque modios accipit et quinque denarios. ille qui superbus atque impotens et fiducia virium tumidus ait:

quod nisi quieris, Menelae, hac dextra occides,

diurnum accipit, in centunculo dormit. et priores versus Ribbeckius recte quidem recentioris poetae existimat. errat autem cum aliis viris doctis in eo quod fabulam Atreum scilicet vel Thyesten e qua versus sumpti sunt in scaenam prodiisse censet ante Ciceronis Oratorem a. 46 editum (cf. Ribb. ad inc. inc. frg. 55 v. 104. Trag. Rom. p. 627). colligit hoc e Cic. Or. 163, ubi Lipsius quondam suspicatus erat codicum mutilorum et interpolatorum scripturam *qua pontus Helles superat modum* partem praebere eiusdem versus quem habet Seneca atque hinc emendandam esse in: *qua ponto ab Helles.* quod temere coniectum esse iam B. Schmidtius demonstravit in Mus. Rhen. 16 p. 598. cf. Heerdegen. proleg. in Cic. Or. p. XXXVI, qui locum coniecturis purgatum sic exhibet: '*Qua pontus Helles superat Timolum ac Tauricos*' — *locorum splendidis nominibus inluminatus est versus, sed proximus inquinatus insuavissima littera:* '*Finis frugifera et fertilia arva Asiae tenet.*'

reliquit quidem Heerdegenus unam crucem; eius removendae certam simplicemque rationem mecum communicavit Leo. in Abrincensis enim codicis, qui omnium antiquissimus est, scriptura: superadmolū (superat timolum Palatin. superat tmolum Florent.) nihil aliud latet quam: supera Tmolum. quod si recipimus haec evadit sententia:

qua pontus Helles (sc. est), *supera Tmolum ac Tauricos finis, frugifera et fertilia arva Asiae tenet.*

ut scilicet qui versus pronuntiet in Graecia positus Priamum indicet.

De versibus autem qui apud Senecam extant hodie nemini dubium esse potest quin recentiori tragoediae tribuendi sint.[1]) quare Langius haud inepte cogitare mihi videtur de Varii Thyesta, prima novae artis, quam tum temporis constat tantam habuisse admirationem, ut fere omnibus anteponeretur (huius rei testes sunt Quint. X 1, 98; Tac. dial. 12; Philargyr. in Verg. Ecl. VIII, 10. cf. Weichert *de L. Varii et Cassii Parm. vit. et carm.* p. 98; Welcker Trag. Graec. III p. 1426 sq.). hanc sane novit Seneca et certe in sua ipsius Thyesta aliquatenus imitatus est ut iam D. Heinsius in Sen. Thyest. v. 1. (p. 296 ed. Scriverius) coniecit et Leo observ. crit. de Sen. trag. p. 173. de loco quidem quem nunc tractamus nihil affirmari potest, quia tres alii recentiores poetae Thyesten vel Atreum conscripserunt: Gracchus, Scaurus inprimisque Pomponius quem Seneca impugnabat (v. infra), Quintilianus, Tacitus, Plinius laudibus efferunt.

---

[1]) cf. Lange, *quaestiones metricae,* diss. Bonn. 1851. Schmidt. l. c. p. 598 sq. Ribbeck. Tr. R. p. 627. quae sententia etiam eo mihi videtur commendari quod et *Helles* genitivus postpositus et graeca vocabuli forma recentiori usui convenit. sane et collocatio et forma eadem est in fragmento Ciceroniano quod latinam artem prae se fert; in quo nescio an olim scriptum fuerit *qua pontus Hellaest.*

Sequens versus a Seneca prolatus minus certus est quam ut ansam nobis det confidentius iudicandi. Ribbeckius quidem eum ponit in Telepho Enniana, ubi inter Atridas pariter atque in Euripidia altercatio orta erat (v. inc. inc. frg. 15 v. 28; Trag. Rom. p. 109): *ging er soweit,* ut verbis eius utar, *dass er im zorn das leben des bruders bedrohte?* quod dubitationi obnoxium esse vir doctissimus ipse vidit neque equidem mihi persuasi veritatis id speciem habere cum verba quae Seneca adiecit *superbus atque impotens et fiduciae virium tumidus* non cadant in Agamemnonem in Telepho prodeuntem.[1]) melius conveniunt e. g. Aiaci in qualibet Armorum iudicii descriptione (Acciana voluit Welckerus Trag. Gr. p. 1445 adn.). maxima vero inde nobis exoritur difficultas res dubias dignoscendi quod auctorem apud quem Seneca frustulum illud tragicum invenire potuerit non novimus. nequeo enim inde proficisci quod in scaena illud utique audierit, cum probe sciam verba Annaeana[2]) in universum rhetorisque modo dicta esse aeque atque ep. 76, 31: *nemo ex istis quos purpuratos vides, felix est non magis quam ex illis quibus sceptrum et chlamyden in scaena fabulae adsignant: cum praesente populo lati incesserunt et cothurnati, simul exierunt, excalceantur et ad staturam suam redeunt.* atque recentiori tragoediae fragmentum adscribi spondeus in quarto pede vetare videtur. quaestionem tamen movere licebit. nonne putas fieri posse, ut vetus illa regula, de qua nuper egit Buechelerus in Mus. Rhen. 1886 p. 311 sq., ut vocalis ante vocalem corripiatur,

---

[1]) ceterum video hac de re Ribbeckio iam oblocutum esse Lucianum Muellerum in libro *Q. Enni carminum rel.* p. 219.

[2]) Welckerus (op. c. p. 1445) ex his verbis potissimum efficere studet imperatorum aevo fabulas tragicorum veterum Romanorum a scaena non relegatas fuisse. quod iam in dubium vocavit B. Schmidtius Mus. Rhen. XVI p. 591 adn. frustra, cum novum argumentum non attulerit, resuscitavit Welckeri istam opinionem Luc. Muellerus in libro quem inscripsit *Q. Ennius. eine einleitg. in das studium der röm. poesie.* 1884. p. 274.

de hoc quoque loco valeat, ut legatur: *Menelāe hac?* mihi quidem, quamquam alia exempla non deprehendi, perquam veri videtur simile esse, istius vocis longam syllabam aliquo tempore ita usurpatam esse, cum et apud Graecos correpta forma *Μενέλεως* fuerit in usu. quod si concesseris, non praefracte opinor contendes fragmentum ortum esse non posse in initio novae tragoediae; sin autem aliter sentias, necesse est acquiescas in eo ut putes e libro nescio quo Senecam illud sumpsisse.

Reliqui loci qui extant tragici ad Graecas fabulas pertinent, veluti ep. 49, 12: *nam ut ait ille tragicus 'veritatis simplex oratio est,'* quod dictum ortum est ex Aesch. *Ὅπλων κρίσ.* frg. 170 N:

ἁπλᾶ γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη.

vel ex Eur. Phoen. 470[1])

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Atque haec hac de re; restat ut locum extrinsecus petitum adiungam paucisque absolvam, Quint VIII 3, 30 ed. Halm. *Fingere, ut primo libro dixi, Graecis magis concessum est — — — nostri aut in iungendo aut in derivando paulum aliquid ausi vix in hoc satis recipiuntur. nam memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an 'gradus eliminat'* (*apud Accium* omittunt codd., est Gryphii inutilis coniectura) *in tragoedia dici oportuisset. at veteres ne 'expectorat' quidem timuerunt. et sane eiusdem notae est 'exanimat'* q. s. voces *'gr. el.'* Ribbeckius posuit in incertis incertorum frgm. (129 v. 229). verum non ignoti cuiusdam poetae sunt. nempe Pomponius dixerat, doctus ille poeta, quem huiusmodi composita verba in deliciis habuisse eiusdem vox *notifices* (cf. Atrei v. 2 R.) ostendit (de reliquis formis Pomponi propriis qualis est acc. *monteis* vide Schmidt. l. c.). obloquebatur ei Seneca, adsentitur Quintilianus comprobans exemplis verbum de quo controversia erat non esse absurdum.

---

[1]) Kirchhoffii editione et hic et postea utar.

Nunc demum finem faciam huic enumerationi, qua te iam defatigatum video. sed ut operarius materiam ante adportat quam aedificet, ita nos oportuit omnia colligere et componere unde fundamentum iacere inciperemus. igitur ex iis quae dixi patet Senecam quos veterum tragicorum versus adfert (praeter unum fortasse) ex Ciceronis scriptis philosophicis sumere potuisse; illi igitur non probant eum legisse tragoedias illas. quod si verisimile esse concedis versus e Cicerone eum sumpsisse, item verisimile est eum non legisse tragicos veteres. ad summam velim revoces in memoriam, quam rara apud Senecam vestigia tragicorum Romanorum veterum reperiantur. Ennium solum paullo saepius commemorat, Accium semel, item Naevium et Pacuvium, at non nominatim; plane silentio transit Livium Andronicum.

Quo opere absoluto accedamus ad alterum caput commentationis: curam igitur impendamus ipsis Senecae fabulis, quas si recte perspectas habeo haud nobis levia spero oblaturas esse adminicula ad argumentationem nostram confirmandam.

II.

Priusquam hac in quaestione singula omnia persequamur, in universum paucis quantum distent inter se Senecae veterumque fabulae explicare haud alienum puto, qua in re officio fungar haud difficili quia Leo hac de re ita egit,[1]) ut in plerisque mihi referendi tantum munus impositum videam.

[1]) inspicias cap. VIII ‘de tragoedia rhetorica’ et IX ‘de exemplaribus Graecis’.

Constat inter omnes Romanorum tragicos priores non multum recessisse ab exemplaribus Graecis quippe qui id summo opere agerent, ut ea plus minusve accurate exprimerent; quo factum est ut magis arte vertendi quam sua ipsorum inventione fierent poetae. nam etiamsi nonnulla aliter a Romanis tractata invenias quam exemplaria Graeca praebent vel praebuisse videntur, tamen differentia non tanta esse videtur ut aliena ducatur a versione quippe quae non verbum e verbo reddat, sed ex usu aliquid variet augeat extenuet. rem enim ita se habere Ciceronis iam docet testimonium hoce: *an quia delectat Ennius Pacuvius Accius multi alii qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poetarum?* (acad. I, 3). Senecam in instituendis fabulis aliam quam veteres tragicos ingressum esse viam iam strinximus; quaerendum hic, quaenam sint quas secutus sit leges. rediit sane ille ad Graecos, sed eos non vertit; immo si rem omnem spectas non plura ab iis mutuatus quam argumenta novas plane composuit tragoedias in quibus artis declamatoriae summam rationem, tragicae fere nullam habebat. cuius rei omnem culpam in Senecam non conferemus cum meminerimus disciplina eum rhetorum qui, ut Leonis verbis (p. 148) me applicem, prisca prisco modo tractata contemnebant et ipsi novo instrumento novum quiddam proferre volebant, iam a puero imbutum fuisse. huc accedit quod iam antea extiterant qui exempla tragoediae nova ad praecepta transformandae praebere incepissent, Varium dico inprimisque Ovidium. Seneca vero id quod illi incohaverant ita perfecit, ut artem tragicam declamatorio fuco paene extinctam videas. nec minus rationi et voluntati temporum rhetoricum ut ita dicam typum prae se ferentium convenit, ut Seneca in argumentis ipsis eligendis vias ab antiquis tragicis Romanis tritas relinqueret — nam quis illorum Herculem aut Furentem, ut solemni cognomine utar, aut Oetaeum vel Phaedram vel Oedipum docere ausus est? ac ne quis dicat Ennii Phoenicem pariter ac Phaedram incestum

amorem tractasse,[1]) admonere hic sat est alium esse amorem concubinae, alium novercae et Phoenicis mores quem Euripidis Enniique fragmenta ostendunt melius cum Romanorum natura moribusque convenire quam Hippolytum (cf. Ribb. Tr. R. p. 192). de Accii autem Amphitruone (vel Persidis? cf. Ribb. Acc. v. 82; Tr. R. p. 557) opinionem ab Hartungo Schoellioque prolatam,[2]) latere in ea idem argumentum quod Eur. Herculi fur. subsit. cum Ribbeckius tum fragmenta falsam esse mihi persuaserunt. denique ut etiam hoc attingam. Accio Trachiniae fabula eam iam ob rem minus confidenter potest adiudicari quod versus apud Cic. Tusc. II, 8, 20, quibus talis suspicio niti possit, a Cicerone ipso translati sunt (cf. Welcker. Tr. Gr. p. 1386) et pauca fragmenta incerta (Acc. inc. fab. 16. 17 v. 669 sq. et inc. inc. fab. 36 v. 70), siquidem huc spectant, ad aliam fabulam sunt referenda (Ribb. Tr. R. p. 560).[3])

Vereor ne nimis copiose acta agere videar. sed meum duxi in huius disquisitionis contextu ostendere quantopere fabulae Annaeanae natura et ratione ab antiquis Romanis diversae fuerint et quam consentaneum sit Senecam quae ad fabulas conscribendas opus habuerit ea non hausisse e fonte a Romanis turbato. sed e liquido sinceroque Graeco.

---

[1]) Ribbeckii opinio (Tr. R. p. 526 sq.) Accii Athamantem egisse de Demodica, Crethei uxore, quae amore incensa erat Phrixi, filii Athamantis, qui frater erat Crethei, fragmentis vix probatur.

[2]) Hartungus, Sophocles' fragmente p. 149 sq. Schoellius, Sophocles' Werke verdeutscht u. erklärt. 8. Bändchen. Trachienerinnen. p. 256 sq.

[3]) nihil nobis praebet Schultii commentatiuncula *(Bemerk. zur Senecatragoedie. progr. Rheine. 1886)* qua demonstrare conatur Senecae tragoedias, quamquam multis rebus differant ab antiquis, in argumentis tamen eligendis, moribus exprimendis, affectibus depingendis cum illis convenire. ad opinionem suam stabiliendam explicat Thyesten Annaeanam. quod a vero abesse ea quae supra eadem qua Leo ratione usus exposui evincunt. Leoni novissime adstipulatur Tachau *Wochenschr. für klass. philologie.* vol. 4. (1887) col. 915—18.

Ac ne fieri posse opineris ut Seneca singulos quosdam locos ubi cum fabulis antiquis Rom. concinit ab iis repetierit, accersamus quidquid huc respicere videtur, unde notitia ei venerit disquisituri.[1])

Et primum quidem apparet illas quattuor tragoedias, Herculem dico utramque et Phaedram Oedipumque, minimum nobis praebere; quae inveni afferam.

Cum Herc. f. v. 547 sq.:

Qua spe praecipites actus ad inferos,
audax ire vias inremeabiles,
vidisti Siculae regna Proserpinae?

comparari possunt inc. inc. frg. 147 v. 249 sq.:

. . quaenam te adigunt, hospes,
stagna capacis visere Averni?[2])

quibus versibus Hercules interrogari videtur; sed rerum condicio diversa est: illic ivit Hercules, hic iturus est.

Eiusdem fab. v. 338 sq. Lycus detrectat genus et nobilitatem hisce:

nobiles non sunt mihi
avi nec altis inclitum titulis genus,
sed clara virtus: qui genus iactat suum,
aliena laudat.

[1]) exponere hic poteram Senecam persaepe Vergilium Ovidiumque et Horatium in fabulis expressisse; attamen cum nemo non sciat Senecam secundum morem tum in rhetorum ludis usitatum eos lectitasse et ita quidem ut memoria eos utique teneret notissima illa breviter commemorasse satis habeo.

[2]) ubi gentium frg. extiterit plane dubium est et ne Ribbeckius quidem ullum verbum de eo facit. poterat extare opinor in Alcestide quam Accium docuisse constat vel in alia eiusmodi fabula. simili quoque modo, ut hoc addam, in Sophoclis Alcestide, — si veri aliquid inest Welckeri hariolationibus (Trag. Graec. p. 344 sq.), quamvis omnia incerta sint — admonetur aliquis (Apollo??) ne in Orci caliginem ultro se demergat. cf. Soph. frg. inc. 868

A. θανόντι κείνῳ συνθανεῖν ἔρως μ'ἔχει
B. ἥξεις, ἐπείγου μηδὲν, εἰς τὸ μόρσιμον.

et ibid. 699 *πρὸς δ' οἷον ἥξεις δαίμον' ὡς* [*ἔρωτα* codd. *ἐρώμενον* Welcker.]
ὃς οὔτε τοὐπιεικὲς κ. τ. λ.

quae verba collata cum Acc. Diomed. frg. 3 v. 272:

non genus virum ornat, generis vir fortis loco.

similem aliquatenus sententiarum conexum praebent. sed praeivit iam Euripides inc. fab. 1050 *ἡ φύσις ἑκάστῳ τοῦ γένους ἐστὶν πατρίς.*

Phaedr. 972 sq. chorus queritur:

sed cur idem qui tanta regis,
sub quo vasti pondera mundi
librata suos ducunt orbes,
hominum nimium securus abes
non sollicitus prodesse bonis
nocuisse malis?
res humanas ordine nullo
Fortuna regit sparsitque manu
munera caeca, peiora fovens.

cui sententiae maxime conveniunt Enn. Telam. 1 v. 269 sq.:

ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
sed eos non curare opinor quid agat humanum genus:
nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

cf. Pacuv. inc. frg. 14 v. 366 sq.; Acc. Antig. 5 v. 142 sq. sic haud semel Euripides, sicuti Hippolyti v. 1102; posteaque saepius, quoniam doctrina est Epicureorum, cf. Sen. de benef. IV, 4, 1. alios locos iam congessit Leo p. 156.

Nullius momenti est consensus Oedipi v. 86:

haud est virile terga Fortunae dare

cum Acc. Meleagr. frg. 16 v. 460:

erat istuc virile ferre advorsam fortunam facul,

et Oed. v. 214: *ambage flexa Delphico mos est deo*
arcana tegere

cum Pacuv. Perib. frg. 26 v. 308:

flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.

alios locos affere supersedeo, quia leviores sunt quam ut inde quicquam lucremur; venio iam ad fabulas quarum argumenta veteres tractavere. atque primum inspicias

quaeso mecum Troades Annaeanam, cum istud argumentum Romani semper eximio cum studio persecuti sint eamque ob rem Senecae libaturo scilicet e patriis poetis non pauca praesto fuerint exemplaria.

A. De Troadibus.

Senecae fabulam maximam partem ex Euripidis Troadibus et Hecuba pendere iam pridem notum est, sed nonnulla etiam e Sophocle, qui ἀπόπλουν in Captivis et Polyxena tractavit, esse sumpta Leo p. 172 Welckeri Ribbeckiique observationibus[1]) usus comprobavit confirmavitque ibidem Accium in Astyanacte et Troadibus easdem Sophocleas fabulas repetiisse videri. quare quas inter utrumque Romanum similitudines reperimus communi fonti adscribere non dubitamus, quandoquidem externa argumenta quae aliter iudicare nos cogant non accedunt. quod dico facere conabor manifestum.

Sen. v. 170 sq. Talthybius dicit Achillis φάντασμα ita apparuisse:

summa iam Titan iuga
stringebat ortu, vicerat noctem dies,
cum subito caeco terra mugitu fremens
concussa totos traxit ex imo sinus;
movere silvae capita et excelsum nemus
fragore vasto tonuit et lucus sacer;
Idaea ruptis saxa ceciderunt iugis. —

179: *et hiatus Erebi pervium ad superos iter*
tellure fracta praebet ac tumulum levat. sq.

similiter, quamquam non tam copiose idem ab Euripide in Hecuba narratur v. 107 sq. τύμβον δ' ἐπιβὰς οἶσθ' ὅτε χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὅπλοις, τὰς ποντοπόρους δ' ἔσχε σχεδίας κ. τ. λ.

---

[1]) Welcker. Trag. Graec. p. 171 sq. Ribbeck. Trag. Rom. p. 412 sq.

(cf. vv. 35—40) et ab Ovidio met. XIII 441 sq., quem Euripidem expressisse constat:

hic subito, quantus cum viveret esse solebat
exit h u m o l a t e r u p t a, similisque minaci
temporis illius vultum referebat Achilles sq.

Annaeanum autem locum contulit Ribbeckius (Tr. R. p. 417) cum Acc. Troad. frg. 2 v. 479 sq.

sed utrum terraene motus sonitusne inferum
pervasit auris inter tonitra et turbines?

quibus versibus Achillis simulacrum in scaena apparens ostenditur (videas quoque inc. inc. frg. 38 v. 73 sq. a Ribbeckio Acc. Troadibus recte additum. cf. Leo l. l.). hos versus Senecam imitatum esse nemo pronuntiabit: nam terram moveri consentaneum est; id quod etiam Ovidius tangit secundum Sophoclem[1]); certo autem ad hunc referendum esse Calchantem, deorum interpretem, patet e Soph. frg. 31 et Acc. Astyan. frg. 5. transcribam hoc ea qua a Ribbeckio allatum est forma (Tr. R. p. 414):

nunc, Calchas, finem religionum fac, desiste exercitum
morari meque ab domum itione arcere tuo obsceno omine.

cf. Sen. 353 sq.

tu qui Pelasgae vincla solvisti rati
morasque bellis, arte qui reseras polum, —

358: *quid iubeat deus*
effare, Calchas, nosque consilio rege.

Astyanactem a matre occultatum et ab Ulixe indagatum eidem Sophocli deberi omnes sciunt. sed considera quomodo Seneca ingenio suo id adaptarit. nam cum Accius (sc. Soph.) puerum in remotis saltibus latitantem finxerit repertum esse a ministro quodam ad inquirendum illum misso qui Ulixi quaerenti id nuntiet, Seneca commentus est Andromacham recondidisse filium in patris busto. quo

[1]) noli oblivisci Senecam v. 170 sq. respexisse etiam ad Verg. Aen. VI 255 sq.: *ecce autem, primi sub lumina solis et ortus / sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri / silvarum* — . postremum v. ipse adfert nat. quaest. VI, 13, 5.

consilio id factum sit in propatulo est: nimirum ut miserae matris dolores affectusque amplificentur. ut cui Ulixes minitetur se eruiturum esse Hectoris sepulcrum cineremque eius sparsurum, nisi mater filii prodat latebras. quod promissum Ulixes, dum Andromacha angore confecta haesitat, filiumne poenae eripiat an patrem, efficere parat.

Accipe et alium locum ubi Seneca cum Accio aliquantulum consentit. Acc. frg. 7. de quo Ribbeckius p. 414 sq. dicit haec: *unverkennbar gegen Helena ist der vorwurf gerichtet:*[1])

te propter tot tantasque habemus vastitatis funerum

sei es nun, dass Andromacha die abwesende verwünschte wie bei Eur. 761 ff. oder wie bei Sen. 902 ff. (893 L.) *ihr ins angesicht die folgen ihres leichtsinns vorhielt:*

cernis hos tumulos ducum
et nuda totis ossa quae passim iacent
inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.
tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor. u. s. w.

war letzteres der fall, so muss auch die entscheidung über ihre zukunft in das drama verflochten gewesen sein. intelleges hoc ad iudicium nostrum refellendum minime valere, cum talia contra Helenam ‘Troiae patriae communem Erinyn,’ ut ait Verg. Aen. II 573, sescenties sint dicta convicia; et quod attinet controversiam inter illas mulieres apud Senecam actam, derivatam eam esse constat ex Hecubae et Helenae certamine in Eur. Tro. 877 sq.; conferas e. gr. Sen. 917 sq.:

causa bellorum fui
tantaeque Teucris cladis? hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta;
sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui
deditque donum iudici victrix dea,
ignosce praedae.[2])

[1]) de qua re antea iam Welcker. op. c. p. 175. Duentzer. *Zeitschr. f. d. Altertsw.* 1838 p. 54.

[2]) Paridi codd. correxit Leo. versibus Euripideis seq. pag. a me descriptis haud scio an emendatio fulciatur.

et Eur. 922:

Κύπρις δὲ τοὐμὸν εἶδος ἐκπαγλουμένη
δώσειν ὑπέσχετ' —

933: *ἦλθ' οὐχὶ μικρὰν θεὸν ἔχων αὑτοῦ μέτα*
ὁ τῆσδ' ἀλάστωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλεις
ὀνόματι προσφωνεῖν —

942: *τὴν θεὸν κόλαζε — συγγνώμη δ' ἐμοί.*[1])

haec de utraque Accii fabula; de eiusdem Hecuba nihil affirmare possum propterea quod unus versus isque nullius momenti traditus est. sciens autem volensque primum de recentioris poetae fabulis disserui, ut quae in quibusdam ad oeconomiam spectantibus rebus cum Annaeana concinant; nunc nos vertamus ad Ennium.

[1]) Senecae procul dubio tribuere debemus quod Helena iussa est Polyxenam ad thalamum scilicet ad mortem arcessere et postea quasi pronuba illi praecedere (v. 860 sq. 1132 sq.), cum poetis sit consuetudo infaustis nuptiis infestissimam quamque mulierem, praecipue Erinyes (unde hic usus originem trahit) pronubam facere, e. g. Medea v. 37 minatur: *pronubam thalamo feram / ut ipsa pinum* et Laius Oed. v. 644 *et mecum Erinyn pronubam thalami traham.* cf. Burmann. ad Ovid. her. II 117 et Leo p. 165 adn. de Polyxenae autem fictis nuptiis Foersterus Herm. XVII p. 193 sq. *[Achilleus u. Polyx. zwei unedirte declam. d. Choricius]* primum Welckeri sententiam (Tr. Gr. p. 183 adn. et p. 1144) repetierat, scilicet istam fabulae formam inventam esse ab Alexandrinis qui Achillis amorem primi adfinxissent, cf. Lycophr. Alex. v. 323 sq.: *σὲ δ' ὠμὰ πρὸς νυμφεῖα καὶ γαμηλίους / ἄξει θυηλὰς στυγνὸς Ἴφιδος λέως / μητρὸς κελαινῆς χέρνιβας μιμούμενος* et Statylli Flacci epigr. Anth. Palat. IX 117. quam sententiam idem Foersterus Herm. XVIII p. 475 sq. eo refutavit quod e schol. ad Eur. Hec. v. 40 conclusit iam in Cypriis carminibus, ut antea alii viri docti pronuntiaverant, Achillem cupiditate Polyxenae flagrasse. itaque causa non videtur esse, cur non sumamus Eur. Hec. 40: *αἰτεῖ — τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα καὶ γέρας λαβεῖν* adludere ad Achillis amorem. namque quomodo omnino fieri potest ut in hac et — id quod veri videtur simillimum — in Sophoclea quoque tragoedia Achillis simulacrum diserte postulaverit Polyxenam, nisi vivo ei placuit? atqui poetas Alexandrinos illum amorem egregie celebrantes Polyxenae mortem cum thalamo comparasse exempla posita a Foerstero edocent. ergo probabile est Senecam iis suum debuisse.

Atque Hecuba quae e cognomine Euripidia fere ad verbum versa est statim praetermissa, quia quae conferri possint prorsus non inveniuntur, longius adferam fragmentum ex Andromacha Aechmalotide, carmen dico praeclarum quod Hectoris uxor post Troiae excidium et filium de muro iactatum cantat,[1]) frg. 9 v. 75:

quid petam praesidi aut exequar? quove nunc
auxilio aut exili aut fugae freta sim?
arce et urbe orba sum. quo accedam? quo applicem?
quoi nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent,
fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes
deformati atque abiete crispa

* * *

o pater — —
vidi ego te adstante ope barbarica
tectis caelatis lacuatis,
auro ebore instructam regifice.
haec omnia videi inflammarei,
Priamo vi vitam evitarei,
Jovis aram sanguine turparei.

et frg. 10: *ex opibus summis opis egens, Hector, tuae.* istis versibus similes sunt Andromachae apud Senecam lamentationes v. 476 sq.:[2])

— heu me, quis locus fidus meo
erit timori quave te sede occulam?
arx illa pollens opibus et muris deum,

---

[1]) sic a Ribb. Tr. R. p. 137 recte iudicatum video. nam e toto carminis tenore intellegitur Andromacham non filio auxilium quaerere sed sibi ipsi. vide frg. 12 v. 91—3 quos Scaligerus iure coniunxit et Andromachae tribuit: *vidi, videre quod sum passa aegerrume, Hectorem curru quadriiugo raptarier, Hectoris natum de muro iactarier.*

[2]) Duentzerus, qui in Zeitschr. f. d. Altertsw. 1838 p. 47 sq. ad Ennianam fabulam explicandam versus quosdam adnotavit Annaeanos, hoc fragmentum cum Hecubae lamentis comparavit apud Sen. v. 1168:

bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?
ubi hanc anilis expuam leti moram? q. s.

gentes per omnes clara et invidiae gravis,
nunc pulvis altus, strata sunt flamma omnia
superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,
quo lateat infans . . . .

et v. 499: — *quis feret trepidis opem?*
quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos,
Hector tuere. sq.

Andromachae Ennianae condicionem diversam esse ab Annaeanae per se intellegitur; atque hoc libenter opinor concedes mulierem tantis aerumnis obsessam eiusmodi questus necessario emittere; prorsus similes scis esse Eur. Hec. v. 157 sq. ubi Hecuba ita queritur: *τίς ἀμύνει μοι; ποία γέννα, ποία δὲ πόλις; φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες κ. τ. λ.* et quae eius generis sunt multa. nec minus loci communis instar est quod muri eversi et regia devastata deflentur, velut Sen. v. 15 sq.:

en alta muri decora congestis iacent
tectis adusti; regiam flammae ambiunt
omnisque late fumat Assaraci domus.

At uno saltem loco accidit ut Seneca cum tragico quodam priore aperte congruat. Priami enim mortis narrationi quae in summa a vulgari non deflectit (sc. senem ad Jovis Hercei aram a Pyrrho mactatum esse, cf. Eur. Tro. 16; Sen. 44; Enn. loco supra laudato) additur v. 141: *Sigea premis litora truncus.* quod neque apud Euripidem neque apud alium quemvis antiquorum qui aetatem tulerunt invenies nisi in Pacuv. frg. inc. 33. sed cave credas Senecam i p s u m Pacuvium in fingenda ista voce auctorem secutum esse; adnotat enim Serv. in Aen. II 506: *de morte autem Priami varie lectum est. alii dicunt, quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est, sed ad tumulum Achillis tractus occisusque est iuxta Sigeum promontorium —: tunc eius caput conto fixum Pyrrhus circumtulit. alii vero quod iuxta Hercei Jovis aram extinctus sit dicunt . . et hanc opinionem plane sequitur Vergilius, licet etiam illam praelibet, ut suo indicavimus loco.* idem in Aen. II 557: '*iacet ingens*

litore truncus' *quod autem dicit litore, illud, ut supra diximus, respicit quod in Pacuvii tragoedia continetur.* (fortasse in Iliona, cf. Ribb. Trag. Rom. p. 237). Senecam vero e Vergilio hausisse[1]) prorsus elucet e Verg. v. 552 sq.:

implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem. . .

556: *tot quondam populis terrisque superbum*
regnatorem Asiae: iacet ingens litore truncus.

quos v. Sen. respexit 46 sq.: *scaeva manu*
coma reflectens regium torta caput,
alto nefandum vulneri ferrum abdidit;

Loci illi in antecedentibus prolati tales sunt qui sententiam nostram gravissime firment fulciantque; quae supersunt paucis verbis expediam.

Sen. v. 241 sq.: *suique victor operis exemplum horruit*
didicitque Achilles et dea natos mori

consensum proderent, quamquam exiguum, cum Accii Epinausimach. frg. 15 v. 327, si scriptura recepta a Ribbeckio certa esset emendatio:

deorum mortalis [esse], Phoenix, liberos
reminiscor saepe, et [meminisse] idem istud vos volo

(cf. Tr. R. p. 362), sed omnia sunt incerta et dubitationi obnoxia. ad sententiam libet afferre Sen. dial. ad Polyb. 15, 3: 'Divus Augustus amisit Octaviam sororem carissimam . . . ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, sensit.' et dial. VI 15.

Sen. v. 613 sq.:

nunc advoca astus, anime, nunc fraudes, dolos,
nunc totum Ulixen; veritas numquam perit.

comparari possunt cum eiusdem Ulixis verbis in Acc. Nyctegres. frg. 7 v. 489:

iuve nunc adtemptare, iuve nunc, anime, ruspari Phrygas!

---

[1]) item Manilius Astr. IV 64 sq. J.:
inque rogo Croesum Priamumque in litore truncum
cui nec Troia rogus?

atqui illos versus a Seneca Accianum locum ignorante fictos esse non posse nemo ἐν ὀνείροις cogitabit. etenim animi auxilium invocari passim apud illum reperitur; satis sit pauca indicasse: Phaedr. 592; 599; Med. 41 sq.; 895; 936 al.

Iam quaestioni de Troadibus finis imponatur. namque quidquid iure quodam huc referri potest lectoris iudicio subieci, plura autem proferre non audeo ne te subridentem habeam. quid enim refert omnes locos enumerare vel hariolari quot fabulas potuerit quidem usurpare Seneca, re vera non usurparit; immo ea sola quae comparationem admittunt nobis sunt consideranda.

B. De Medea.

Senecae Medea argumentationi meae magno usui est, quia non ita pauca fragmenta servata sunt et de auctoribus quos Seneca secutus est fere omnia constant. huius enim exemplar fuit Euripidia fabula; quae diversa sunt ea maximam partem ex Ovidiana deprompta esse demonstravit Leo p. 163 sq.

Eadem fabula Euripidia ab Ennio plane expressa est. itaque necessitudinem quae est inter tot amborum Romanorum locos inde explicandam esse quod unum eundemque poetam Graecum uterque secutus est perspicuum est. nempe sententias vel verba Ennii propria apud Senecam non detexeris, quale est primordium illud a Cicerone aliisque saepius perstrictum, frg. 1 v. 205:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
caesa accidisset abiegna ad terram trabes,
neve inde navis incohandae exordium
cepisset. sq.

et v. 213: *Medea, animo aegra, amore saevo saucia.*

at ut fragmentorum quae licet comparare nonnulla luculenta exempla ante oculos ponam, conferas frg. 8 v. 226 sq.:

nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.

* * *

nam ut ego illi supplicarem tanta blandiloquentia — ?

et Sen. 399 sq.: *segnis hic ibit dies,*
tanto petitus ambitu, tanto datus?

cum Eur. v. 367:
ἀλλ' οὔτι ταύτῃ ταῦτα, μὴ δοκεῖτέ, πω.
ἔτ' εἴσ' ἀγῶνες τοῖς νεωστὶ νυμφίοις

368: *δοκεῖς γὰρ ἄν με τόνδε θωπεῦσαί ποτε,*
εἰ μή τι κερδαίνουσαν ἢ τεχνωμένην;

item frg. 13 v. 235: . . . *salvete, optima corpora!*
cette manus vestras measque accipite!

et Sen. v. 945 sq.:
Huc, cara proles, unicum afflictae domus
solamen, huc vos ferte et infusos mihi
coniungite artus.

cum Eur. v. 1058: *δότ', ὦ τέκνα,*
δότ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα.

De uno tantum loco quaestio oriri potest. in Euripidea fabula Medea a Creonte iubetur urbem relinquere una cum filiis, in Annaeana sola sine eis, cf. v. 179 sq. et 283, ubi ipsa a Creonte petit 'ne culpa natos matris insontes trahat.' deinde autem Jasonem orat ut liberos matris comites esse sinat, quo non impetrato demum ipsa eos interficere constituit (v. 549 sq.), in ceteris tamen Seneca Euripidem paene vertit; v. 297 sq.:

Cr. *capite supplicium lues,*
clarum priusquam Phoebus attollat diem
nisi cedis Isthmo.

Eur. v. 354 sq.:
εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ
κ α ὶ π α ῖ δ α ς ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός,
θανεῖ·

et Ennius imitatus quidem hos versus frg. 7:
si t e secundo lumine hic offendero, / moriere

cum Seneca in eo congruit quod liberos non addit. sed vide ne temere quicquam inde concludas. sine dubio enim, ut Ribbeckius monuit (Tr. R. p. 152), illos istic subaudiri

voluit poeta, ita ut Ennius haudquaquam deflectat ab Euripide. — ad sententiam fragmenti inc. inc. 88 v. 159:

pereant amici, dum inimici una intercidant

(quod Ennii Medeae convenire sensit Ladevicus conl. Eur. 811 sq., Ribbeckius autem (adn. crit. ad fragm.) melius rettulit ad adesp. trag. 294: *ἐρρέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ*) prope accedit Sen. 426 sq.:

Med. *sola est quies,*
mecum ruina cuncta si video obruta:
mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.

cf. Leo p. 153 ubi similes loci enumerati sunt. addi possunt Thyest. v. 190 sq.; de ira I, 1, 1; II, 35, 5.

De Enniana fabula dicta sufficiant; non potest huc referri Accii Medea, quippe quae aliud tractaverit argumentum: de Jasone et Medea qui ab Aeeta acti ad terram Scytharum appellunt.[1]) nihilominus nonnulla fragmenta nobis tangenda sunt.

Frg. 10 v. 415:

exul inter hostis, exspes expers desertus vagus

siquidem est Medeae Jasoni diras minantis, si forte is se deserat (Apoll. Rhod. IV, 382 sq.), convenit cum Sen. v. 20:

vivat. per urbes erret ignotas egens
exul pavens invisus incerti laris,
iam notus hospes limen alienum expetat.

similia etiam apud alios inveniuntur, cf. adesp. frag. 107: *ἄπολις ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος, πτωχὸς πλανήτης, βίον ἔχων τοὐφήμερον* (Diog. Laert. 6, 38 de Diog. Sinop: *εἰώθει δὲ λέγειν τὰς τραγικὰς ἀρὰς αὐτῷ συνηντηκέναι· εἶναι γοῦν ʽἄπολις κ.τ.λ.*); Lucil. 44 L.; Ovid. her. VI, 158; 162; Ib. 113.

---

[1]) hoc argumentum veri est simillimum Sophoclis *Σκύθαις* subiectum fuisse, cf. Welcker. p. 337 sq. et de Acc. fab. p. 1214 sq. (quam falso Pacuvii Medo similem fuisse statuit); Ribb. Tr. R. p. 528 sq. ad explicandam fabulam recte adsumitur Apollon. Rhod. Argon. IV.

Frg. 7 v. 411:

primum ex immani victum ad mansuetum applicans

et fr. 8: *ut tristis turbinum*

toleraret hiemes, mare cum horreret fluctibus

quae sunt ex oratione qua barbari Argo appulsa, cum numquam antea navem conspicati sint perterriti, docentur ab aliquo (a Jasone?) navigii utilitatem, audaciam hominum etc. et Seneca in Argo quidem commemoranda occasionem victum cultumque mutatum illustrandi non praetermisit, sed in peius detorquens laudat tempora quibus homines navigationis nondum periti fuerint (cantic. inde a v. 301 et 595). quod poetis frequentatissimum fuisse constat, sicuti Tibull. I, 3, 37 sq.; Hor. c. I, 3, 9 sq.; Ovid. met. I, 94; 132; am. II, 11, 1; Sen. Phaed. 530. alia multa.

Praeterea pauca exponere mihi liceat de frg. inc. inc. 93 v. 165, quod fortasse recte Accii Medeae attribuitur. haec legimus:

postquam pater
adpropinquat iamque paene ut comprehendatur parat,
puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit,
perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
ut, dum nati dissupatos artus captaret parens sq.

quocum congruit Sen. v. 452 *quaeque fraternus cruor / perfudit arva.* (ad alteram fabulam delabitur v. 132 *funus ingestum patri / sparsumque ponto corpus;* cf. 44). scis duas vel tres esse fabulae formas. unam exhibuerunt Sophocles in Colchid. (vide schol. in Apollon. IV, 228) et Eur. Med. 1334, scilicet Medeam in patris aedibus fratrem interfecisse. quo consilio facinus illud ea commiserit ab Euripide accuratius non declaratur, consentaneum vero est, ut fratris corpus discerpat dispergatque. alterius auctor est Pherecydes (schol. in Apoll. l. c. 223; 228) sustulisse Medeam puerum ἐκ κοίτης et Argonautis tradidisse qui postea eum mactatum in flumen (Phasin) iecerint. quam eandem fabulam secuti sunt Seneca, Lucanus VIII. 98;

Apollodorus bibl. I, 9, 24. denique per agros corpus sparsum esse invenimus in fragmento modo transcripto, Ovidii her. VI, 129; trist. III, 9, 21; Ib. 437. quod vero attinet Senecam, non facile dixeris fragmenti istius voces sententiasque eum secutum esse, praesertim cum extent Ovidiani loci. atqui tristium illi versus, licet fragmento perquam similes sint, ex eo descriptos esse Burmannus in adn. ad versus istos nemini probabit.

Supersunt duo fragmenta aliunde adlata. ad Sen. v. 77 *et quas Taygeti iugis / exercet iuvenum modo / muris quod caret oppidum* adnotavit Delrius: *nihil horum similest apud Lacaenas virgines, / quibus magis palaestra Eurota sol pulvis labor / militia studio est quam fertilitas barbara.* (frg. inc. inc. 111 v. 206 Acc. Meleagro a Welckero ascript.). huius rei notae exempla si requiris dabunt Cic. Tusc. II, 15, 36 ubi versus modo citati afferuntur; Eur. Androm. 587; Prop. IV, 3 M.

Accii Teleph. 6 v. 619:

> . . . *nam si a me regnum Fortuna atque opes*
> *eripere quivit, at virtutem nec quiit.*

respondet Sen. 176: *fortuna opes auferre, non animum potest.* cf. Eur. frg. 1051 N.:

> *εἰ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασιν λελείμμεθα,*
> *ἡ δ' εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει.*

(Sen. de benef. IV, 10. 5; ep. 36, 6.)

C. De Agamemnone.

Hac de fabula disputaturi primum comparabimus eam cum Aeschyli Agamemnone quam Senecam secutum esse omnes statuerunt. quo modo vero singula in usum suum verterit ordine nondum expositum est.[1])

---

[1]) comparavit quidem fabulam Annaeanam cum Aeschylea et interpretatus est Sandstroemius: *de L. Ann. Sen. tragoediis* (Upsala Universitets Arsskrift 1872) p. 89 sq. sed nihil nos eius commentatione lucrati sumus; longe aliam viam ingressi sumus.

Aeschyleae fabulae dispositio, ut breviter revocem in memoriam, fere haec est. custos qui per decem annos faces collucentes frustra expectavit, quo signo Troiae excidium uxori se nuntiaturum esse Agamemno quondam promiserat, nunc tandem lucem tam diu petitam conspicatur et certiorem facit de eo eventu Clytaemnestram quae cum choro quae facta sint communicat. et dum chorus dubius haeret, advenit iam praeco quidam ab Agamemnone reduce praemissus qui omnia confirmat simulque narrat quidquid Graeci perpessi sunt. deinde Agamemno cum Cassandra introducitur et consalutatus a choro et uxore aedes intrat, dum Cassandra foris remanens vaticinatur. sed vix ea quoque domum ingressa est, cum clamor auditur Agamemnonis quem in lavacro iacentem Clytaemnestra sola interficere conatur; paullo post etiam Cassandrae mortem affert. et quo modo haec effecerit postea ipsa enarrat. in fine fabulae Aegisthus qui a caede afuerat in scaenam prodit, ut laetitiam facinoris a se dolose excogitati prae se ferat, qua de causa chorus eum in certamen vocat quod postremo a Clytaemnestra componitur.

Istud argumentum quatenus Seneca usurparit examinemus. ac statim in initio discrimina quaedam se offerunt: prodit Thyestae umbra *προλογίζουσα* et Aegisthum in caedem Agamemnonis impellens; Clytaemnestra Agamemnoni redituro, cum ob adulterium commissum poenam expectet, perniciem meditans dissuadente nutrice; denique Aegisthus, qui Clytaemnestrae nutricis dictis iam cessurae persuadet ut saevum illud scelus ambo in se suscipiant (vv. 1—309). componere autem licet Clyt. verba apud Sen. v. 162 sq.:

Pudet doletque — Tyndaris, caeli genus,
lustrale classi Doricae peperi caput.
revolvit animus virginis thalamos meae
quos ille dignos Pelopia fecit domo,
cum stetit ad aras ore sacrifico pater
quam nuptiales! q. s.

cum eiusdem versibus apud Aesch. 1369 K.:

> *ὃς οὐ προτιμῶν, ὡσπερεὶ βοτοῦ μόρον,*
> *μήλων φλεόντων εὐπόκοις νομεύμασιν,*
> *ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα, φιλτάτην ἐμοὶ*
> *ὠδῖν', ἐπῳδὸν Θρᾳκίων ἀημάτων.*

et 175 sq.: *amore captae captus, immotus prece*
> *Zminthea tenuit spolia Phoebei senis,*
> *ardore sacrae virginis iam tum furens. . .*

184: *neve desertus foret*
> *a paelice umquam barbara caelebs torus,*
> *ablatam Achilli diligit Lyrnesida, . . .*
> *nunc novum vulnus gerens*
> *amore Phrygiae vatis incensus furit,*

cum Aesch. v. 1392:

> *κεῖται γυναικὸς τῆσδε λυμαντήριος,*
> *Χρυσηίδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ,*
> *ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τερασκόπος*
> *καὶ κοινόλεκτρος τοῦδε θεσφατηλόγος,*
> *πιστὴ ξύνευνος, ναυτίλων δὲ σελμάτων*
> *ἰσοτριβής.*

Interpositum carmen (v. 57 sq.) de regnorum instabili fortuna et de modicarum rerum laudibus argumenti in Senecae fabulis usitatissimi est. quamquam iuvat ex Aesch. similes locos afferre, cf. v. 364 sq.; 441 sq.; 1285 sq.

Praeconem ab adventante Agamemnone praemissum esse et in Senecae et in Aeschyli fabula legimus, cf. Sen. 408 (Leo, 388 Gronov.), ubi chorus dicit:

> *Sed ecce, vasto concitus miles gradu*
> *manifesta properat signa laetitiae ferens*
> *(namque hasta summo lauream ferro gerit)*
> *fidusque regi semper Eurybates adest.*

Aesch. v. 470: *κήρυκ' ἀπ' ἀκτῆς τόνδ' ὁρῶ κατάσκιον*
> *κλάδοις ἐλάας· μαρτυρεῖ δέ μοι κάσις*
> *πηλοῦ ξύνουρος διψία κόνις τάδε κ. τ. λ.*

Sen. 392 a:

Eurybat.: *Delubra et aras caelitum et patrios lares*
post longa fessus spatia, vix credens mihi,
supplex adoro. vota superis solvite:
telluris altum remeat Argolicae decus
tandem ad penates victor Agamemnon suos.

Aesch. 481:

Κῆρυξ. *ἰὼ πατρῷον οὖδας Ἀργείας χθονός,*
δεκάτου σε φέγγει τῷδ' ἀφικόμην ἔτους,
πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων μιᾶς τυχών·
οὐ γάρ ποτ' ηὔχουν τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονὶ
θανὼν μεθέξειν φιλτάτου τάφου μέρος.
νῦν χαῖρε μὲν χθών, χαῖρε δ'ἡλίου φάος,
ὕπατός τε χώρας Ζεύς . . .

500: *ἥκει γὰρ ὑμῖν φῶς ἐν εὐφρόνῃ φέρων*
καὶ τοῖσδ' ἅπασι κοινὸν Ἀγαμέμνων ἄναξ. κ. τ. λ.

Prodit Clytaemnestra quae loquitur v. 404 a:
tu pande vivat coniugis frater mei
et pande teneat quas soror sedes mea.

Euryb. *meliora votis posco et obtestor deos:*
nam certa fari sors maris dubii vetat e. q. s.

Aesch. v. 595:

Χο. *σὺ δ'εἰπέ, κῆρυξ, Μενέλεων δὲ πεύθομαι*
εἰ νόστιμός τε καὶ σεσωσμένος πάλιν
ἥξει σὺν ὑμῖν, τῆσδε γῆς φίλον κράτος.

Κη. *οὐκ ἔσθ' ὅπως λέξαιμι τὰ ψευδῆ καλά κ. τ. λ.*

Naufragium quod classes redeuntes fecerunt a Seneca ultra modum expositum Aeschylus eodem loco paucis expedit, cf. v. 626 sq. sed de hac re infra agam.

Sen. v. 589 introit Troadum chorus et lamentatur; Cassandra praesagit v. 710. (apud Aeschylum Cassandra inter comites Agamemnonis est.)

Sen. v. 778—81 chorus nuntiat Agamemnonem reversum ab uxore benigne excipi (in Aesch. fabula

complectitur illa scaena vv. 747—938). rex dis gratias agit v. 783:

Tandem revertor sospes ad patrios lares;
o cara salve terra. tibi tot barbarae
dedere gentes spolia, tibi felix diu
potentis Asiae Troia summisit manus.

(inde a 786 usque ad 801 Cassandra divino furore correpta Agamemnoni occurrit, qui famulos eam fovere iubet, vaticinia non credit. haec omnia prorsus aliena ab Aeschylea.)

v. 802: *at te pater qui saeva torquens fulmina . . .*
— supplice et fibra colam (807).

Aesch. 774:

Ἀγαμ. πρῶτον μὲν Ἄργος καὶ θεοὺς ἐγχωρίους
δίκη προσειπεῖν, τοὺς ἐμοὶ μεταιτίους
νόστου δικαίων θ' ὧν ἐπραξάμην πόλιν
Πριάμου κ. τ. λ.

Cassandra bacchans vaticinansque[1]) de Agamemnonis et sua ipsius morte ab Aeschylo inducitur in illa omnium pulcerrima parte quae est inde a 1025 usque ad 1281. etiamsi descriptio Annaeana ab ea plane diversa sit, attamen pauca componi debent, ut v. 693:

Chor. *Sed cur sacratas deripis capiti infulas?*
miseris colendos maxime superos putem.
Cass. *Vicere nostra iam metus omnes mala.*
equidem nec ulla caelites placo prece
nec, si velint saevire, quo noceant habent.

---

[1]) Cassandrae affectus non perinde atque in Aesch. fab. pictos observatis. in Graeca enim vates commiseratur suam ipsius et Agamemnonis fortunam (cf. inprimis v. 1090 sq. 1267/8) et solum vv. 1240—44 se confirmat. contra in Romana fab. summo gaudio exultat, quod ipsa victa victorem secum ad mortem trahat. hoc fortasse ex Eur. Troad. repetitum est, cf. v. 355:

μῆτερ πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον
καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖσι βασιλικοῖς γάμοις· κ. τ. λ.

462: *— ἥκω δ' εἰς νεκροὺς νικηφόρος*
καὶ δόμους πέρσας' Ἀτρειδῶν, ὧν ἀπωλόμεσθ' ὕπο.

Aesch. 1218:

Κα. *τί δῆτ' ἐμαυτῆς καταγέλωτ' ἔχω τάδε,*
καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη;
σὲ μὲν πρὸ μοίρας τῆς ἐμῆς διαφθερῶ.

Seneca enim instituit rem hisce modis. Cassandra non tantum fata continuo eventura canit, ut in Aesch. fabula ubi enuntiatis illis vaticiniis aedes regias tamquam Orci intrat, sed etiam ea quae intus aguntur *ἐξαγγέλου* loco pronuntiat. itaque non auditur Agamemnonis clamor profligati qui non in balneo, sed inter convivium necatur ab Aegistho Clytaemnestraque. Cassandra autem una cum rege non moritur, sed confugit ad aram unde in fine fabulae ultro sine timore mortem oppetit. quaedam vero etiam in hac parte Aeschylum sapiunt, veluti vestem *ἄπειρον* quam vocant Seneca retinuit v. 887:

mortifera vinctum perfide tradit neci
induta vestis: exitum manibus negant
caputque laxi et invii claudunt sinus.

Aesch. 1335: *Κλ.* *ὡς μήτε φεύγειν μήτ' ἀμύνεσθαι μόρον.*
ἄπειρον ἀμφίβληστρον, ὥσπερ ἰχθύων,
περιστιχίζω, πλοῦτον εἵματος κακόν.

deinceps v. 897: *armat bipenni Tyndaris dextram furens,*
901: *habet, peractum est.*
904: *nondum recedunt: ille iam exanimem petit*
laceratque corpus, illa fodientem adiuvat.

Aesch. 1338: *Κλ.* *παίω δέ νιν δίς· κἂν δυοῖν οἰμώγμασι*
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι, κ. τ. λ.

atque haec hactenus. nam solum locos gravissimos allaturus eram.

Exitus fabulae Annaeanae ab Aeschyleae valde recedit: statim postquam Agamemnonem interfectum esse Cassandra nuntiavit, Electra ex aedibus se proripit, ut Orestae puero fugam quaerat. et in ipso temporis articulo ecce adest Strophius qui ab Olympiis victor revertens Argos venit gratatum Agamemnoni, cognato suo, quod Ilium cecidit.

cui Electra fratrem in Phocidem abducendum tradit.[1]) quo facto ipsa postquam ad eandem aram constitit quam Cassandra amplexa est, cum matre in acerbissimam controversiam venit[2]) et postremo Aegisthi iussu in vincula conicitur. — Senecam in hac parte Electram Sophocleam respexisse, id quod iam tetigit D. Heinsius p. 332 et 334 ed. Scriver., facile est ad demonstrandum.

Apud Sophoclem Electra fratrem domo removit et paedagogo dedit, ut eum ad Strophium deduceret, cf. v. 11 (ed. Jahn.):

ὅθεν σε πατρὸς ἐκ φόνων ἐγώ ποτε
πρὸς σῆς ὁμαίμου καὶ κασιγνήτης λαβών·

ibid. v. 321 et praecipue 294: *τηνικαῦτα δ'ἐμμανὴς*
βοᾷ παραστᾶσ'· οὐ σύ μοι τῶνδ' αἰτία;
οὐ σὸν τόδ'ἐστὶ τοὖργον, ἥτις ἐκ χερῶν
κλέψασ' Ὀρέστην τῶν ἐμῶν ὑπεξέθου;
ἀλλ' ἴσθι τοι τίσουσά γ'ἀξίαν δίκην.
τοιαῦθ' ὑλακτεῖ, σὺν δ'ἐποτρύνει πέλας
ὁ κλεινὸς αὐτῇ ταῦτα νύμφιος παρών κ. τ. λ.

his versibus simul omnia continentur quae Seneca de Electrae altercatione cum matre acta copiosius conscripsit. et aperte Electra matrem obiurgans Sophocleae mores habet v. 953 sq.:

Clyt. *Hostis parentis, impium atque audax caput,*
quo more coetus publicos virgo petis?
Et. *Adulterorum virgo deserui domum.*
Cl. *Quis esse credat virginem?* El. *Natam tuam?*
Cl. *Modestius cum matre.* El. *Pietatem doces?*
Cl. *Animos viriles corde tumefacto geris;*
sed agere domita feminam disces malo. e. q. s.

[1]) in Aesch. fab. ipsa mater filium amolita est per speciem, ut puer in tuto collocatus esset, si Argivi rerum novarum studerent Agamemnone ante Troiam mortuo, re vera autem ut libera ab arbitro indulgeret adulterio.

[2]) sic adversarii partes, ut ita dicam, quas chorus apud Aesch. agit, Electrae datae sunt.

Soph. 516 sq.:

Κλ. Ἀνειμένη μὲν ὡς ἔοικας αὖ στρέφει.
οὐ γὰρ πάρεστ' Αἴγισθος, ὅς σ' ἐπεῖχ' ἀεὶ
μή τοι θυραίαν γ' οὖσαν αἰσχύνειν φίλους·
605. *Ηλ.* — *τοῦδέ γ' εἵνεκα*
κήρυσσέ μ' εἰς ἅπαντας, εἴτε χρῇς κακὴν
εἴτε στόμαργον εἴτ' ἀναιδείας πλέαν.
εἰ γὰρ πέφυκα τῶνδε τῶν ἔργων ἴδρις,
σχεδόν τι τὴν σὴν οὐ καταισχύνω φύσιν.
621. .. *αἰσχροῖς γὰρ αἰσχρὰ πράγματ' ἐκδιδάσκεται.*

haec e Sophocleis v. elegi quia Annaeanis maxime conveniunt. deinceps vero certissimum sunt testimonium Sen. v. 997 sq.:

Aeg. *abripite, famuli, monstrum et avectam procul*
ultra Mycenas ultimo in regni angulo
vincite saeptam nocte tenebrosi specus
ut inquietam virginem carcer domet.

qui evidenter derivati sunt e Soph. v. 379 sq.:

Χρυσ. μέλλουσι γάρ σ', εἰ τῶνδε μὴ λήξεις γόων,
ἐνταῦθα πέμψειν ἔνθα μή ποθ' ἡλίου
φέγγος προσόψει, ζῶσα δ' ἐν κατηρεφεῖ
στέγῃ χθονὸς τῆσδ' ἐκτὸς ὑμνήσεις κακά.

sic codd., sed scripturam non sanam esse primus vidit Wilamovitzius Herm. XIV p. 176. correxit Kaibelius Herm. XIX 257 in *χθονὸς στέγῃ τ. ε.* Senecam vero corrupta verba ut nos legisse et interpretationis artificio explicare studuisse apparet.

Quibus expositis satis elucere arbitror Agamemnonem fabulam e Senecae officina ita retractatam provenisse ut necessitudinem inter hanc et Aeschyleam haud magnam deprehendamus: immo praevalet diversitas qua sapientissimam Graeci tragici dispositionem rhetor studuit detorquere. in ista quaeso paululum subsistamus. vidisti Aegisthi, ut qui in initio mulierem nefariam ad scelus committendum perducat et postea regis necis particeps fiat, maiores partes esse quam in Aeschylea. alia dein quamquam levissima differentia est quod tempestas multis

verbis exponitur. deinde in eo disceditur quod Cassandra, quae res enarrat quae intus geruntur, non una cum Agamemnone interficitur. denique, id quod maximum est, subiungitur Electra.

Haec discrimina non omnia a Seneca primo esse inventa pauca sed certa manifestant documenta e Livii Andronici Aegistho et Accii Clutemestra[1]) petita, quorum fabulas Aeschyleam non secutas esse constat. (vide Duentzer. l. infra in adn. cit., Welcker. ibid., Ribb. Tr. R. 28 sq., 460 sq.).

Nempe in Livii Aegistho fere omnes discrepantias quae in Annaeana nobis occurrunt reperies. et primum

[1]) Accii Clutemestram et Aegisthum unam fuisse fabulam voluerunt Duentzerus (*Liv. Andr. fragm. collecta et inlustrata.* diss. Berol. 1835. p. 25) et Welckerus Tr. Gr. 1156 sq., diversas esse Ribbeckius trag. Rom. frgm. p. 138 adn. et Tr. R. 464 recte statuit. minus recte idem vir doctus iudicare videtur utramque tragoediam tractasse Agamemnonis caedem. nam multo verisimilius est, id quod Leo pag. 159 breviter modo commemoravit, in Aegistho Electrae argumentum fuisse repetitum, cum ista fabula optime quadret in earum ordinem in quibus Accius inde ab Oenomao usque ad Agamemnonidas et Erigonam per septem vel octo tragoedias versatus est. et fragmenta assentiri videntur. conferri iubeo frg. 3 cum Soph. El. 871 (cf. Buecheler. apud Ribbeckium); frg. 4 cum v. 626 vel 1445 vel 1460. frg. 2: *cui manus materno sordet sparsa sanguine*
fortasse respondet v. 1421:

Ηλ. καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω ψέγειν.

(cf. Eur. El. 1172: *ἀλλ' οἵδε μητρὸς νεοφόνοισιν αἵμασι*
πεφυρμένοι βαίνουσιν ἐξ οἴκων πόδα,).

frg. 1: *heu / cuiatis stirpem funditus figi studet*
quod plerique de Aegistho dictum censent explicari potest, si subauditur fortuna vel aliud eius generis, e Soph. v. 764:

Χο. φεῦ φεῦ· τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι
πρόρριζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος.

frg. 5: *melius quam viri / callent mulieres* conferri potest cum Soph. 1243. *Ορ. ὅρα γε μὲν δὴ κἀν γυναιξὶν ὡς Ἄρης*
ἔνεστιν, εὖ δ' ἔξοισθα πειραθεῖσά που.

vel — rectius fortasse — Antigona id respondet Chrysothemidi quae sic loquitur apud Soph. v. 997: — *γυνὴ μὲν οὐδ' ἀνὴρ ἔφυς,*
σθένεις δ' ἔλασσον τῶν ἐναντίων χερί.

Aegistho maiores partes (quas iam epica musa ei dedit) vindicat ipse titulus. habemus dein duo frg. (1 et 2) exordium continentia longioris, ut videtur, descriptionis itineris tempestatisque, cum quibus Seneca consentit; narrat porro aliquis de convivio et Agamemnone moriente (frg. 6 et 7). cuius quidem sint in dubio relinquere debemus, fortasse Cassandrae, ut plerique suspicati sunt. denique accedit Aegisthus imperans ut virgo quaedam a templo deducatur, frg. 8 quod Ribbeckius Tr. R. p. 30 sic exhibet:

quin quod parere mea vos maiestas procat
[cito] toleratis temploque hanc deducitis?

quae sit illa etsi disertis verbis non dicitur, tamen Duentzerus et Ribbeckius dubitare non debuerunt: sola Electra esse potest, nam si satellitibus ut Cassandram servam scilicet abducerent imperasset Aegisthus, certe non erat cur tam graviter eos atque severe maiestatis suae admoneret: regiae vero filiae cunctanter eos manus iniecisse luce est clarius. sequitur igitur rem comparatam fuisse eodem fere modo quem exitus fabulae Annaeanae inlustrat.

De Accii Clutemestra haec affirmari possunt. unum fragmentum (5) ostendit in tempestatis narratione[1]) Aiacis quoque Locrensis interitum tractatum fuisse quem omittit Aeschylus, Seneca exhibet (v. 528 sq.). e frg. 10 *matrem ob iure factum incilas, genitorem iniustum adprobas,* patet Clytaemnestram et Electram invicem se increpuisse. (cf. Soph. El. 287: *αὕτη γὰρ ἡ λόγοισι γενναία γυνὴ / φωνοῦσα τοιάδ' ἐξονειδίζει κακά· ὦ δύσθεον μίσημα, σοὶ μόνῃ πατὴρ / τέθνηκεν, ἄλλος δ' οὔτις ἐν πένθει βροτῶν; κακῶς ὄλοιο κ. τ. λ.*) quae quidem controversia quomodo desierit plane ignoramus, non tamen sine veri quadam specie est similem eius atque apud Livium et Senecam finem factum esse; quamquam etiam aliud excogitari potest. itaque hoc tantum liquet

[1]) ex hac sunt frg. 3 et 4.

Accium expressisse fabulam Liviano exemplari in eo certe similem quod Electra accedit, verum tamen unam eandemque fuisse, ut Duentzerus l. c. p. 25 statuit, nemo inde colligere conetur. — quaerentibus vero nobis quisnam Graecorum primus praeclaram fabulam Aeschyleam novo aratro iteraverit, nullum responsum quasi lumen in tanta rerum obscuritate afferri potest. sane fuit recentior quidam poeta, cum Electram addiderit quam in scaenam induxerunt Euripides et Sophocles, cf. Wilamovitz. de Electris in Hermae vol. XVIII. p. 214 sq.[1]) et ad hanc quoque Electram pertinebit quod de reliquis posuit idem vir doctus p. 235, scilicet eam effictam esse e Sophoclea.[2]) Sophoclem vero ipsum Aegisthum scripsisse hodie nemo doctus opinatur, quia satis constat eum illud argumentum ante Electram non tractasse et Hesychi glossam corruptam esse vel potius mutilam (Soph. frg. inc. 659: Hesych. I

θω

p. 561: *ἀρύθμων· ἀσυμφώνων. Σοφοκλῆς αἰγί* .). alia poetarum fabularumve nomina quae iure huc pertineant non extant; id solum commemorare mihi licet illius Agamemnonis didascaliam (CIA. II 2 n. 972 v. 5) quam Welckerus p. 1095 Boeckhio auctore[3]) Ol. 108, 3 adscribit ponendam esse in Ol. 90, 1 (vide Koehlerum l. c.).

Jam videamus quid ex iis quae exposuimus de Seneca concludendum sit. imitatus est ille Aeschyli Agamemnonem, discrepat autem cum ea in gravibus rebus in quibus cum Livii potissimum fabula consentit. id non casu factum esse facile perspicitur, immo certum videtur

[1]) Wilamovitzii argumentationem accuratius definire studet Evaldus Bruhnius (*lucubrationes Eurip.* in Fleckeiseni annal. suppl. XV p. 314 sq.) statuendo Sophoclem Electrae Euripidiae nondum actae argumentum novisse et ea re commotum fuisse, ut suam conscriberet. utramque dein fabulam ineunte a. 413 in scaenam esse missam.

[2]) 'Electra trägt fortan die sophokleischen, nicht die euripideischen züge, von den nachdichtern, wie dem der den Dulorestes verfasst hat, an bis auf Goethes Iphigenie in Delphi.'

[3]) CIG. I, 231.

obversatum esse Senecae argumentum fabulae eiusdem quam Livius tractavit, unde cum alia petiit cum Livio et Accio conspirantia tum Electram fabulae personis accedentem. cui opinioni a nobis prolatae fides afferetur si demonstraverimus Senecam neque Livium neque Accium imitatum esse. incipiamus igitur a Livio; antequam autem singula explicemus, praemonendum aliquid videtur.

Livium Andronicum, antiquissimum Romanorum poetam, multo etiam minus quam reliquos priores tragicos a Romanis inde ab Augusti tempore lectum tractatumve esse nisi forte a grammaticis paucisque aliis litterarum studiosis facile demonstrari potest. ac de Livio quidem id non mirum. nam iam antea, Cicerone certe vivo, illum ut cascum et vetustatis situ obrutum quasi iacuisse disertum Ciceronis ipsius testimonium declarat: Brut. 18, 71 *nam et Odyssia Latina,* inquit, *est sic tamquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur.* — cf. Liv. XXVII, 37 qui dicit de carmine a Livio poeta ficto an. a. Ch. 207 *carmen — illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur.* et Hor. ep. II, 1, 50, quid illo loco velit Horatius in propatulo est: Naevii fabulae, quia sunt veteres, coluntur, Livii natu paullo maioris ne commemoratu quidem dignae sunt: hunc temporis tantummodo statuendi causa nominat. addas Vell. Pat. I, 17. — ac si nobis parum veri simile est Ciceronem ipsum Livianis fabulis perlegendis operam dedisse,[1]) certum id de poetis Augusteis, Vergilio Horatio Ovidioque, probari non posse. Horatius quidem Odyssiam in schola legit (ep. II, 1, 69 sq.), at de fabularum studio nihil affert, et Ovidius in carminibus

---

[1]) cf. J. Kubikii accuratam, quam postquam haec scripsi accepi commentationem, *de M. Tullii Cic. poetar. Latinor. studiis* (diss. Vindobon. vol. I, 1887). qui vir doctus p. 253 sq. nixus in Cic. loco in hac pag. a nobis laudato atque in eo quod Liviani versus in Cic. libris nusquam citantur statuit eum fabulas Livianas, quas fortasse puer cognoverit, postea perraro aut omnino non relegisse.

tragicos Romanos veteres omnino non respicit, nedum Andronicum. quod autem attinet Vergilium ab eo ut amantissimo vetustatis Naevium translatum esse constat; qui vero de Livio idem valere censeat non habebit locos quibus fulcire possit opinionem illam nisi hos:

Ecl. VII, 31: — *levi de marmore tota*
puniceo stabis suras evincta cothurno

et Aen. I, 336: *virginibus Tyriis mos est gestare pharetram*
purpureoque alte suras vincire cothurno

quibus versibus similis invenitur apud Terent. Maur. 1931 ubi legimus: *Livius ille vetus Graio cognomine suae*
inserit Inoni versus, puto, tale docimen: —

1935: *et iam purpureo suras include cothurno* sq. istos autem versus omnes sciunt non esse L. Andronici, sed Terentiani (Haupt obs. crit. opusc. I, 115). similitudo igitur quae intercedit Vergilium inter et Livium ad Terentianum referenda est qui novit Vergilium. — alter est locus Aen. I, 223: — *cum Jupiter aethere summo*
despiciens mare velivolum —

ad quem adnotat Macrob. sat. VI, 5, 10: *Livius in Helena:*
tu qui permensus ponti maria alta velivola.

certe non est Livii, immo Laevii, cf. eiusdem frg. 17 M. — tertius locus hic est: Aen. IV, 36: — *despectus Jarbas*
ductoresque alii quos Africa terra triumphis
dives alit

adnotat Servius Dan.: *Livius autem Andr. refert eos* (Afros) *de Romanis saepius triumphasse suasque porticus Romanis spoliis adornasse: merito ergo 'dives triumphis.'* ut hoc loco in duobus reliquis locis a Serv. comment. exhibitis Livius ad verba Verg. explicanda, non ut auctor Vergilii adsumitur: X, 6, 36: *'nube cava': erit nominativus haec nubes, nam nubs non dicimus quod ait Livius Andronicus* sq.; I, 92: *'solvuntur frigore membra'* ad quem Serv. Dan.: *nam et Graeci φρικτὰ dicunt quae sunt timenda, ut Homerus —. Livius in Odyssia 'igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore.'*

Alii loci quantum video de Livio non extant, quamquam obtrectatores Vergilii sedulo locos ab eo expressos conquisiverunt; Vergilium igitur Livium adhibuisse non facile opinor inde concludes.

His quae, ne longus essem, adumbrare et delineare tantum debui, positis et concessis minime credibile est Senecam, qui veterum tragicorum despicatum prae se fert, a se ipso adeo descivisse ut in casco Livio imitando operam poneret, praesertim cum similes fontes eis unde ille et postea Accius hauserant, Senecae sine dubio non minus large se offerent.

Iam fragmenta percensebimus. cum Aegisthi frg 1:

nam ut Pergama
accensa et praeda per participes aequiter
partita est

et frg. 2: *tum autem lascivum Nerei simum pecus*
ludens ad cantum classem lustratur [choro].

contulit Ribbeckius Tr. R. p. 29 sq.[1]) Sen. v. 421:[2])

Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
divisa praeda est,

et v. 449. *tum qui iacente reciprocus ludit salo*
tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exultat freto
agitatque gyros et comes lateri adnatat,
anteire naves laetus et rursus sequi;
nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
millesimam nunc ambit et lustrat ratem.

atque haec Ribb. dixit: 'es scheint kaum zweifelhaft, dass Seneca oder wer der verfasser dieser declamation gewesen ist, in dieser partie den text des alten dichters vor augen gehabt hat.' — atque equidem infitiari nequeo

---

[1]) multo ante Ribbeckium Duentzerus loco saepius adlato nonnullos versus Annaeanos adnotavit ad fabulam Livianam illustrandam.

[2]) Ribbeckii numeros, cum sequatur Richteri et Peiperi editionem, mutavi secundum Leonis i. e. Gronovii ed.

tantam esse similitudinem, ut quivis primo obtutu facile ad eandem opinionem perducatur, sed omnia e natura rerum declarare posse mihi videor. reputes enim quaeso ecquid aliud exordium nuntii narrationis possit excogitari quam illud sumptum a Troiae excidio et praeda divisa. cf. ut exemplo saltem defungar, Diomedis orationem in Ovid. met. XIV 466 sq. vel Aeneae orationem apud Verg. l. III init. — de delphinis qui in aequore tranquillo placidoque ludentes naves comitantur a poetis scriptoribusque admodum saepe agitur,[1]) sicuti Eur. Electr. 436 sq. ubi chorus, cum naves ad Troiam proficiscentes celebret, haec canit: *ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελφὶς πρῴραις κυανεμβόλοις εἱλισσόμενος.* neque amplius in verbis offendes Annaeanis, quae equidem cum Ribbeckio tamquam eximie congruentia cum Livianis distinxi, si ostendero ea fere ubique in re simili adhibita inveniri. ad optumum testem provoco: ad Ovidium. inspicias met. III 683 sq. (quam narrationem Seneca Oed. 449 sq. aperte expressit):

undique dant saltus, multaque aspergine rorant,
emerguntque iterum, redeuntque sub aequora rursus,
inque c h o r i l u d u n t s p e c i e m, l a s c i v a q u e iactant
corpora et acceptum patulis mare naribus efflant.

quibus adde Plin. N. H. XVIII, 361: *praesagiunt et animalia; delphini tranquillo mari l a s c i v i e n t e s flatum ex qua veniunt parte* et q. s.; item IX, 19—33, praecipue § 24: *delphinus non homini tantum amicum animal, verum et musicae arti — hominem non expavescit ut alienum, obviam navigiis venit, a d l u d i t e x u l t a n s, certat etiam et quamvis plena praeterit.* (neque omittam Verg. Aen. X, 224; nymphae enim quae ex Aeneae navibus mutatae sunt (IX, 119) Aeneam

---

[1]) etiam in Pacuv. frg. inc. 44. 45, ubi eodem modo agitur de Achivorum a Troia redeuntium itinere, delphini lascivientes commemorantur: vides quovis tempore in usu fuisse ut poetae in narratione illa descriptionem istam ponerent.

monitum noctu adveniunt: *agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.*)

Fragm. 5: *sollemnitusque deo litat laudem lubens* Ribbeckius[1]) contulit cum Sen. v. 802 sq. ubi Agamemno dis gratias agit. ne obliviscaris autem id fragmentum valde corruptum a Ribbeckio sic constitutum esse. alii aliter legunt (etiam Ribb. ipse paullo aliter in Tr. R.). atque etiamsi illius viri docti coniecturam probaris, imitationis tamen nec volam nec vestigium invenies. ceterum cf. Aesch. v. 774 (v. p. 40).

Agamemno Cassandram miseriae admoneri vetat frg. 4 *nemo haec vostrorum ruminetur mulieri,* quod confertur cum Sen. v. 790 sq. et 800 sq. (*hanc fida famuli turba, dum excutiat deum, / retinete ne quid impotens peccet furor.*). etiam apud Aeschylum Agamemno Cassandrae consulit saluti v. 914 sq.; ibi enim a Clytaemnestra petit ut capta bene tractetur.

Fragm. 3: *iamne oculos specie laetavisti optabili?* plane dubium est quo pertineat nec dignum quod respiciatur, cum talis sensus nusquam appareat in Annaeana fabula.

Fragm. 6: *in sedes conlocat se regias:*
Clutemestra iuxtim, tertias natae occupant.

eam ob rem huc referri potest quod apud Sen. v. 875 sq. convivium illud[2]) describitur. atqui si Seneca imitari voluisset, causam non video, cur natas omisisset tertias occupantes.

Frgm. 6 et 7 (quod est hoc: *ipsus se in terram saucius fligit cadens*) si sunt Cassandrae, vaticinari ea videtur eodem quidem modo quo apud Senecam; sed, ut iam supra dixi, possunt narrantis esse.

---

[1]) incertus quidem vir doctus est, utrum referendus sit versus ad Livii an ad Accii Aegisthum cui ab Urbinate Nonii codice datur. re vera autem Urbinas non tantae auctoritatis est.

[2]) Agamemnonem in convivio interfectum esse antiquissima est fabula quam exhibet Odyssia quamque a Sophocle tractatam vides El. 194 sq.; 203; 284 sq.; in balneo vero necem evenisse finxit Stesichorus eumque secuti Aeschylus et Euripides.

Verum gravissimus est Senecae consensus cum frg. 8 quippe qui nos cogat affirmare Livii et Senecae locum ex eodem vel simili fonte manasse, sed hac de re vide quae supra p. 45 sq. disputavimus, ubi etiam conferas Accianum fragm. 10, quod excepto argumento cum Annaeana fabula nihil habet commune. (frg. 6 et 7 aperte a Cassandra dicta prorsus nihil hac in re valent). aliud Accii fragmentum: Aegisth. 3:

celebri gradu gressum adcelerasse [*decet* libri, *dedecet* Buecheler.]

a Ribbeckio comparatum cum Sen. v. 780 sq. refutemus non opus est (v. p. 44 adn.).

Revocavit Ribbeckius ad Accii Clutem. inc. inc. frg. 67 v. 125: *erras erras: nam exultantem te et praefidentem tibi repriment validae legum habenae atque imperi insistent iugo.* quibus versibus Ribbeckius Aegisthum Electrae minitari censet. stare quidem potest ista sententia, attamen altera ex parte haud minus confidenter pronuntiare licet, e multis aliis tragoediis sumi versus illos potuisse. quare cum Annaeanis eos non conferam, cum quibus, licet amplectaris Ribbeckii sententiam, parum concinunt. melius componitur cum Aegisthi minis Sen. v. 988 sq.:

abstrusa caeco carcere et saxo exigat
aevum, et per omnes torta poenarum modos —
inops egens inclusa, paedore obruta sq.

Pacuv. Dulorest. frg. 31 v. 158:[1])

nam te in tenebrica saepe lacerabo fame
clausam et fatigans artus torto distraham.

nec tamen ipsum fragmentum Seneca imitatus est, ut qui a Sophocle ipso colores repetierit. recorderis velim Aegisthi quoque verba choro aeque minitantis apud Aesch. v. 1610 sq.

Haec sunt omnia quae proferenda censui promissum perfecturus. quae si recte disputata sunt mecum facies

[1]) Dulorestae Electrae argumentum subfuisse ostendit O. Jahnius Herm. II p. 229. fragmentum supra adlatum iam Jahn. et Ribb. (Tr. R. p. 242 adn. 6) comparavere cum Soph. El. 379 sq.

spero contendente sic perquam credibile esse redditum, Senecam ad recentioris illius Graeci argumentum se applicasse. ea quidem ratione illud in usum suum vertit, ut in gravissimis duabus partibus, e quibus conglutinatam invenit fabulam istam, ad primorum auctorum Aeschyli scilicet et Sophoclis ipsas tragoedias rediret.

Quibus expositis relicum est, ut singulos locos perlustremus. atque primus quidem locus qui de tempestate agit materiam nobis praebet copiosissimam, quia multa extant fragmenta diversorum poetarum a Ribbeckio huc relata. verum cum omnia haec in ordine persequi longum sit, gravissima modo tractabo quae ad rectam viam monstrandam sufficiant. comparavit haec fragmenta vir ille doctus cum versibus Annaeanis: Liv. Aegisthi 1. 2. (quae modo absolvimus); Pacuv. Teucri 14 v. 333; inc. fab. 44—46 v. 408—17; inc. 28 v. 391 (Tr. R. p. 226 sq.; 268; 336); Accii Clutem. 3—5 v. 32—34; inc. inc. 21 v. 36 (Tr. R. p. 463).

Illud naufragium in ἔπεσιν enarratum ab aliis tam saepe repetitum est, ut argumentorum satis superque Seneca undique colligere posset. neque enim Aeschylus id omisit, qui v. 626 sq. turbines nimbos aestus fulmina pulcerrime descripsit. quae a Seneca iterata sunt, quamvis multifariam aucta et variata. deinceps conferas Athenae Neptunique conloquium in Eur. Tro. v. 76—97; item Sophocles istam rem illustravit: Nauplium eius constat egisse de Graecorum interitu ad Caphereum promontorium[1])

---

[1]) *Hygini fab. 116 I l i o c a p t o e t d i v i s a p r a e d a Danai cum domum redirent, ira deorum — tempestate et flatibus adversis ad saxa Capharea naufragium fecerunt; in qua tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerva ictus — ceteri noctu c u m f i d e m d e o r u m i m p l o r a r e n t, Nauplius — tamquam auxilium eis adferret, f a c e m a r d e n t e m eo loco e x t u l i t quo s a x a a c u t a et locus periculosissimus erat. illi — naves eo duxerunt, quo facto plurimae earum confractae sunt militesque plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt* sq. paene integrum locum exscripsi, ut ostenderem verba Annaeanis aliquatenus similia etiam apud Hyginum inveniri.

et in Teucro quam Pacuvius expressisse videtur. tempestatis mentionem fuisse factam docet frag. 517 N. quae cum ita sint vide ne in eundem incidas errorem in quem Ribbeckius, qui cum similitudinem quandam inter Pacuvii Teucri frg. 14 et inc. fr. 44; 45[1]) (ad illam tragoediam sane pertinentia) et descriptionem Annaeanam videret interesse, inde conclusit Pacuvii Teucrum a Seneca lectam esse et usurpatam. meo quidem iudicio nihil inveniri potest quo Ribbeckii opinio commendetur. etenim persuadere mihi nequeo — nec opinor alius quisquam qui alterum post alterum locum legerit — eam esse inter utriusque poetae versus affinitatem qua evincatur Senecam Pacuvium ante oculos habuisse. permulta dein eorum quibus Seneca naufragii narrationem exornavit, e magistris eius, ut ita dicam, Vergilio Ovidioque, collegisse eum statuamus necesse est, conferas Aen. I, 39 sq.; 84 sq.; II, 416–19; III, 195 sq.; XI, 255 sq. et Ov. met. XIV, 466 sq.; inprimis eiusdem XI, 474 sq. quos locos, si certior fieri vis, perlegas quaeso, quia mihi non in animo est omnes exscribere. ut duo saltem luculenta adponam exempla vide Pac. inc. frg. 45 v. 411:

interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,
tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum obcaecat nigror,

Sen. 471: *in astra pontus tollitur, caelum perit,*
nec una nox est: densa tenebras obruit
caligo.

Ov. XI, 480: *cum mare sub noctem tumidis albescere coepit*
fluctibus —

521: *caecaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.*

---

[1]) quod solum maioris est momenti fragmentum 45 Cicero memoriae tradidit de div. I 14, 24 et praecipue de or. III 39, 157. iuvat hic commemorare iam Delrium ad Sen. v. 450 priorem illum Cic. locum adtulisse et adnotasse 'ad quem Pacuvii locum noster hic videtur respexisse.' sed ne illius quidem viri docti auctoritate de sententia mea deducor.

550: *omne latet caelum, duplicataque noctis imago est.* (v. Annaeanos modo adlatos Ribbeckius Tr. R. p. 463 conferens cum Acc. Clut. fr. 3: *deum regnator nocte caeca caelum e conspectu abstulit* verba *caelum perit* litteris latius dispositis distinxit. adde versibus a me positis Ovidianis Verg. Aen. I, 88: *eripiunt subito nubes caelumque diemque;* III, 198: *nox umida caelum / abstulit.*)

Deinde afferemus Pacuv. inc. fr. 28 v. 391, quod iure forsitan meritoque Teucro adscribitur (Tr. R. p. 268):

Priamus si adesset, ipse eius commiseresceret.

eandem sententiam transtulit Sen. v. 521:

cladibus nostris daret / vel Troia lacrimas.

aperta imitatio videtur esse, sed ostendam e quo fonte Seneca hauserit; lege Verg. XI, 259:

supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
vel Priamo miseranda manus. (cf. Serv. in l. cit. qui Pacuv. frg. servavit.) inde Ov. met. XIV, 474:

Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri.

(cf. ibid. VI, 276). en Senecae auctores.

Sen. v. 26 Thyestae umbra exclamat:

liberis plenus tribus
in me sepultis; viscera exedi mea.

idem invenitur sensus in Acc. Atrei frg. 14 v. 226:

natis sepulcro ipse est pater.

conferas autem velim Ov. met. VI, 665 de Tereo qui Ityn comedit dicentis:

flet modo, seque vocat bustum miserabile nati

et v. 651: *inque suam sua viscera congerit alvum*

(ex hac fabula Seneca etiam alia decerpsit in Thyesta; v. infra); cf. Manil. V, 461: — *vivi bustum memorare sepulcri*
ructantemque patrem natos solemque reversum.

nec minus exempla aliunde sumpta declarant haud admodum raro alvum vocari sepulcrum, veluti Lucr. V, 993 (v. Ovid. ed. P. Burmann. cum not. var. Oxon. 1826 in l. modo l.)

De Cassandrae vaticinio notandum est quod iam Gerardus Vossius observavit in 'castig. et notis in trag. vet. frgm.' istud simile esse ei quod eadem vates de fratre agnito canit in Ennii Alexandro. quae pro similibus habere possis, quamquam ne ioco quidem opinor affirmabis ullum ex istis versibus plus minusve immutatum a Seneca esse desumptum, ea idcirco adiungo, ut argumentorum seriem absolvam.

Frg. 6 v. 39 sq. Hecuba Cassandram compellat:
sed quid oculis rabere visa es derepente ardentibus?
ubi illa virginalis paulo ante et sapiens modestia?

Cass. *mater* — —
missa sum superstitiosis hariolationibus
namque Apollo fatis fandis dementem invitam ciet

et Sen. 710: Chor. *Silet repente Phoebas et pallor genas*
creberque totum possidet corpus tremor; —

714: *incerta nutant lumina et versi retro*
torquentur oculi sq.

Cass. 720: *Quid me furoris incitam stimulis novi*
quid mentis inopem, sacra Parnasi iuga,
rapitis? recede, Phoebe, iam non sum tua sq.

quid rei naturae convenientius est quam ut Phoebas divino spiritu correpta furiat rabiatque? nonne Aeschylus ipse ita eam induxit v. 1029 sq. et 1168 sq.? praecipue inspicias Aen. VI, 47 sq. unde Senecam inde a v. 710 colores mutuatum esse interpretes admonuerunt.

Frg. 7: *eheu videte!*
iudicavit inclutum iudicium inter deas tris aliquis:
quo iudicio Lacedaemonia mulier, Furiarum una, adveniet.
comparabimus cum Sen. 730:

Idaea cerno nemora: fatalis sedet
inter potentes arbiter pastor deas.

dicit autem ipsa Cassandra, cur Parim nominet, in

sequentibus: *timete reges, moneo, furtivum genus: / agrestis iste alumnus evertet domum.* nempe Aegisthus Agamemnoni eiusque domo aeque fatalis videtur ac Priameis Paris fuerat. (v. 793 sq. ubi Agamemno cum Priamo confertur.)

Agmen claudat frg. 8:

o lux Troiae, germane Hector!
quid ita . . . . . cum tuo lacerato corpore,
miser, aut qui te sic tractavere nobis respectantibus?

apud Senecam Cassandra mortem obitura patrem fratresque adpellat et Hectorem quidem v. 743:

— frater auxilium Phrygum
terrorque Danaum, non ego antiquum decus
video aut calentes ratibus exustis manus,
sed lacera membra et saucios vinclo gravi
illos lacertos;

qui versus haud scio an ficti sint secundum Aen. II, 270 sq.; certe in Andromachae somnio depingendo (Tro. 443 sq.) Seneca illos Vergilii versus imitatus est.

D. De Phoenissis.

De Phoenissis nihil habeo quod proferam. compositam esse eam e duabus inter se diversis declamationibus scaenicorum dialogorum in formam redactis, quarum in prima Sophoclis Oedipus Col. respecta sit, in altera paullo accuratius Euripidis Phoenissae, Leo p. 75 sq. exposuit. e tragicis Romanorum veteribus unus Accius Phoenissas conscripsit; quae ex Euripidia ducta in hoc tantum ab ea recedit quod Oedipus ipse filios alternis annis regnare iubet. Seneca autem Euripidem secutus finxit fratres inter se de regno esse pactos. quae cum Accii vel alius cuiuspiam tragici Romani fragmentis componi possint non inveni.

E. De Thyesta.

Difficillima diiudicatu est Thyestes, quae ex omnibus sane haud paucis tragoediis quae hoc argumentum celebrarunt una ad nos pervenit. certe Seneca Graecum aliquem poetam sibi imitandum sumpsit, sed quisnam fuerit ille virorum doctorum sagacitas adhuc non satis probabiliter eruit. quod non mirum est, quandoquidem de exemplaribus Graecis parum compertum habemus. atque equidem tota materia retractata diligenterque examinata mihi persuasi hanc quaestionem, quomodo nunc res sese habet, vix ad liquidum perduci posse. sed in causa desperata ne periculum fugisse videar, quid sentiam libere exponam.[1])

Argumentum quod cenam Thyesteam continet scaenae commissum est a Sophocle in Atreo sive Mycenaeis, ab Euripide in Thyesta. deinde saepissime alii tragici Graeci in eodem elaborarunt, de quibus verbum non faciam, cum plerumque nomina modo memoriae sint tradita. priorum autem tragicorum Romanorum Ennius Thyesten, Accius Atreum docuerunt. de eorum exemplaribus quid sit iudicandum varias protulerunt viri docti sententias, omnium rectissime disputavit Welckerus qui contendit (Tr. Gr. p. 358 et 675 sq.) expressam esse ab Accio fabulam Sophocleam, Euripideam (quam W. ex errore tum pervolgato cum Cressis confudit) ab Ennio. quae sententia, si exigua fragmenta inspexeris, audacius fortasse videtur posita, attamen ut veram eam esse credam his rationibus commoveor.

---

[1]) quid Theod. Voigtius *de Atrei et Thyestae fabula* his de rebus disputarit non novi. cum enim altera commentationis illius pars novissime demum in dissertat. Halens. foras missa in bibliotheca huius universitatis nondum praesto sit, primam modo particulam (diss. inaug. Halis 1885) inspicere potui, ubi satis habet exponere quae fuerint fabulae formae apud Homerum, Hesiodum, in Alcmaeonide.

Enniana Thyestes quin ex Euripidia ducta fuerit vix cuiquam dubium esse potest. nam fuit Ennius in plerisque tragoediis tamquam Euripidis interpres quippe quem aperte imitatus sit in decem tragoediis hisce: Andromeda, Hecuba, Iphigenia Aulid., Medea Exule, Melanippa, Telepho, Alexandro, Erechtheo, Phoenice, Alcumeone et verisimiliter in Andromacha Aechmal., Cresphonte,[1] Medea (ex Aegeo?) Athamante (?); Sophoclem semel secutus est in Aiace — nam de Hectoris lutris (ex Soph. Phrygibus vel alius cuiuspiam fabula, vix probabiliter Aesch. Hectoris lutris) nihil dici potest —; Aeschylum in Eumenidibus et fortasse in Nemea; num recentioris cuiuslibet fabulam praeter Achillem repetierit in dubio relinquimus. quae cum ita sint, probabilitatis rationes postulant, ut Thyestes non ad Sophocleam aliamve tragoediam referatur, sed ad Euripidiam. accedit aliud argumentum. cum Ribbeckio certum nobis videtur et exploratum in fabula Enniana Thyesten personatum ultro, non ab Atreo invitatum in patriam rediisse, ut nemini notus fratri insidias pararet, cf. frg. 1: *sed me Apollo* (*ipse* l. *spe* Buecheler.) *delectat*
[lactat] ductat Delphicus.
frg. 5: *impetrem fac ille ab animo ut cernat vitalem abigeum,* ubi ultima vox a Ribbeckio restituta est, meo quidem iudicio prorsus recte; tu autem, si minus probes, non infitiaberis debuisse saltem dici versum illum a Thyesta. frg. 3: *quemnam te esse dicam qui tarda in senecta.* hoc versu a Mycenaeo quodam Thyestes quis sit interrogatur. nimirum non miseria et senectute adeo confectus est ut ne Mycenaei quidem eum agnoscant, immo consulto habitum mutavit. — quod idem ab Euripide repraesentatum fuisse conligitur ex Aristoph. Acharn. 432: *ὦ παῖ, δὸς αὐτῷ Τηλέφου ῥακώματα. / κεῖται δ'ἄνωθεν τῶν Θυεστείων ῥακῶν, / μεταξὺ*

---

[1]) qui maxime obstant versus (frg. 3 v. 115 sq.) quominus istam fabulam ad Euripidem referamus ad comoediam aliquam eos reiciendos esse suspicatus est Wilamowitzius Anal. Eur. p. 155 adn. 5.

τῶν Ἰνοῦς. Thyesten ita pannis tectum Euripides, ut arbitrari licet, non ideo induxit ut misericordiam moveret, sed eodem — sicuti supra vidimus — apud Ennium consilio. haec opinio vel eo confirmari mihi videtur quod Thyestes cum duabus illis fabulis nominatur in quibus persona quae primas partes agit fallacias contexit.

Eandem fabulam Euripideam ab Accio redditam esse exponere voluit Hartungus (Eur. rest. p. 170 sq.; 183 sq.) quod ei non prospere cessit, quia quae adtulit argumenta nulla sunt. in Acciana enim fabula Atreus Thyesten iteratae fraudis accusat simulque narrat quas priores fraudes ille quondam fecerit (vide frg. 3 v. 198 sq.; frg. 6—8). hoc non quadrare ait Hartungus ad Sophocleam fabulam, cum scholion in Eur. Orest. 800 (812 D.) tradat apud Sophoclem scelera novissime a Thyesta commissa esse et Atreum ipsum regno privatum fratrem regnantem ulcisci. sed non opus est Hartungum refellam: delego te ad Welckerum, Tr. Gr. p. 365, ubi quomodo illius scholiastae intellegenda sit narratio explicatur. idem porro Hartungus exscribit schol. in Or. 989 (998 D.) et dicit haec: *qui Euripidis verba accuratissime reddidisse videtur et ad illum nominatim provocat: φιλονεικίας οὔσης — Ἀτρεὺς ἐπηγγέλλετο δεῖξαι πρὸς τὸ βεβαιωθῆναι αὐτῷ τὴν βασιλείαν (cf. ʻregni stabilimen meiʼ) χρυσόμαλλον ἐν τοῖς ποιμνίοις αὐτοῦ ἄρνα· ἣν ὁ Θυέστης λάθρα παρὰ τῆς Ἀερόπης αἰτήσας ἔλαβεν.ʼ κ. τ. λ.* consentiunt quidem verba illa distincta (ex frg. 8 v. 210) cum scholio, consentiunt quoque inter se quae secuntur, sed qui id magnit facit, faciat — fidem sibi non conciliabit.

At Accianae fabulae aliud exemplar subiectum fuisse concedes, si haec consideraveris.

Ennii Thyestes in scaenam prodiit an. a. Chr. 169 quo poeta ipse mortem obiit (Cic. Brut. 20, 78); Accii Atreus quam auctor coram Pacuvio Tarenti recitaverat (v. supra p. 15 adn.) inter primas fabulas ab eo conscriptas numeranda ponendaque est fortasse in a. 139 (Ribb.

Tr. R. p. 340). nonne igitur facile ut credamus adducimur posteriorem poetam primum fabulam docentem quae fere idem argumentum continebat novum aliquid praebuisse, si quidem id ageret, ut adversus Ennii auctoritatem secundum sibi pararet prosperumque proventum? quod vero novum praebuit non in eo cerni poterat, quod Euripidis fabulam melius vertere sibi videretur quam Ennius, sed quod ad alium poetam Graecum rediret.[1]) — atque in universum hoc statuendum est Accium plerumque in earum fabularum argumentis quas iam Ennius et Pacuvius in scaenam miserant secutum esse alios auctores. sic Ennianis Hecubae et Andromachae Aechm. opposuit Troades et Astyanactem e Sophocleis Polyxena et Captivis ductas. opposuit deinceps Ennii Medeae et Pacuvii Medo Medeam sive Argonautas fortasse e Soph. Scythis (v. supra p. 34). Eurysacem (probabiliter Sophocleam) valde diversam esse ab Ennii Telamone et a Pacuvii Teucro Ribbeckius ostendit; item evicit idem vir doctus Accium in Andromeda aliud exemplar habuisse quam Euripidium quod Ennius vertit. minus autem recte Ribbeckius Casauboni opinionem repetiit quam refutaverat Welckerus p. 349 sq., scilicet Andromedam Sophocleam fabulam fuisse satyricam. argumentis enim nimis exilibus nititur (Tr. R. p. 163 adn.), de quibus conferas Robert. archaeol. Zeitg. vol. 36 p. 17 adn. 12. itaque hac saltem ex parte nihil obstat quominus Accium in Andromeda Sophoclis vestigiis institisse sumamus. porro in Alcmeone (vel Alphesiboea?) aliud argumentum tractatum fuit quam in Ennii cognomine fabula quae ex Eur. Alcmeone *διὰ Ψωφῖδος* pependit; Accius contra e Sophoclea hausit, ut Welckerus p. 279 coniecit. in Telepho vero ille non magnopere ab Ennio dissentire videtur.

---

[1]) non ignoro Naevium cum Livio certasse in Equo Troiano et Danae. sed nihil de eorum exemplaribus constat. paullo post Ennius certo iteravit duas fabulas iam a Livio doctas: Aiacem Sophocleam et Andromedam Euripideam. atqui alia res est: Livius nimis barbare verterat.

quamquam apud Accium non nulla secus instituta fuisse monet Ribb. p. 344; conferas quoque Welcker. p. 31 qui Aeschyleam fabulam eum usurpasse suspicatus est.

De Ennianis fabulis Achille et Achille Aristarchi altera, de Accianis Achille et Myrmidonibus altera ex parte perquam incertum est iudicium. Robertus quidem probavit (Bild u. Lied p. 133 sq.) Myrmidones non Aeschyleam idem cognomen gerentem fabulam, id quod prius viri docti arbitrati erant, secutam de Patrocli morte egisse, sed veri simillimum esse, praesertim cum pleraque quae extant fragmenta ad Achillis iram pertineant, hoc argumentum in Myrmidonibus fuisse tractatum et fortasse ita quidem ut fabula a rixa illa initium fecerit et in legatione ad Achillem missa desierit. praeterea tria fragmenta sub titulo 'Achilles' a Nonio tradita sunt; quae cum in hunc ordinem apte convenire videantur haud scio an eam ob rem Duentzeri, Welckeri Ribbeckiique coniectura accipi possit, illam fabulam Achillis quoque nomen tulisse. at cui auctori Graeco Accius se applicuerit plane dubium est; conscripsere, quod sciamus, Achillem Aristarchus, Jophon, Cleophon, Carcinus, Diogenes, et Jon Agamemnonem quam idem argumentum quod modo Accio addiximus continuisse nonnulli suspicantur. fabulam vero Ennianam pro certo haberi potest, siquidem uterque titulus unam eandemque tragoediam complexus sit, ex Aristarchea versam esse. ea quoque agere videtur et de rixa (huc forte pertinent Achillis Arist. frg. 1 v. 13 sq. ad contionem aliquam respiciens (Ribb. Tr. R. p. 117), Achill. frg. 2 v. 2) et de studiis ad reconciliandum Achillem adhibitis (Achill. frg. 1; 3; 7).

Eodem loco quem modo attulimus Robertus evicit Patrocli mortem exhibuisse Accii Epinausimachen. respondet igitur istius fabulae argumentum Aeschyli Myrmidonibus, quamquam num Accius eam fabulam imitatus fuerit non certum est. etiam Ennius in Hectoris Lutris Patrocli

mortem tetigit, sed summa dramatis posita est in Hectore interficiendo eiusque corpore redimendo. quae cum in Acciana Epinausimache locum non habuerint, ut Robertus non sine causa negavit, hic saltem paullo certius dixerim Accium non idem exemplar quod Ennium expressisse.

Cum Pacuvio Accius Armorum Iudicium commune habet. de utraque quidem sententiam nos ferre fragmenta non sinunt.

Nec minus de reliquis fabulis silere melius puto quam plane incerta proferre vel repetere — unum haud leve non praetermittam: Accius perraro fabulas post tres tragoediae principes doctas tractavit (cf. Leo p. 158 adn. 15) et illorum trium Sophoclem plerumque imitatus est: praeter fabulas supra memoratas in Antigona, Epigonis, Tereo, Philocteta,[1]) Neoptolemo[2]) et fortasse in Erigona (vel Agamemnonidis?), Pelopidis, Antenoridis aliisque.

Quibus rebus concessis nemini absurdum videbitur profiteri etiam in Atreo mori suo Sophoclis transferendi Accium indulsisse. neque enim obscura illa erat nec verum est id quod Hartungus dicit (l. l. p. 187) 'de Sophocle *οὐδεὶς λόγος*.' quid? quod extat Statylli Flacci epigramma

---

[1]) scis de Philoctetae exemplari viros doctos valde inter se dissentire. meo quidem iudicio, cum plura fragmenta Sophocleis versibus respondeant, ante omnia videndum est possintne cetera ex eadem Sophoclis fabula explicari. quod fieri posse persuasum mihi habeo. namque id semper opinor teneri debet minume ad verbum de Graecis Accium vertisse, veluti in Antigona, ubi ea quae apud Soph. v. 249 nuntius narrat a Romano poeta in canticum mutata vides.

[2]) iterum Robertus (l. c. p. 34) nobis facem praefert Tyrwhittii restituendo sententiam *Σκυρίους* Sophocleam de Neoptolemo Scyro ex insula arcessendo egisse; eademque de re Accii fabula 'Neoptolemus' conscripta erat. quis praeter Sophoclem in argumento illo celebrando versatus sit ignoratur; titulus tantum 'Neoptolemus' Nicomachi cuiusdam et Mimnermi ceteroquin ignoti memoriae traditus est. quae cum ita sint nulla re impediri nos video quominus Accium suspicemur secutum esse Sophoclem.

(anth. Pal. IX, 98), quod viros doctos qui hac de re egerunt fugisse miror:

Οἰδίποδες διssοί σε καὶ Ἠλέκτρη βαρύμηνις
καὶ δείπνοις ἐλαθεὶς Ἀτρέος Ἥλιος
ἄλλα τε πουλυπαθέσσι, Σοφόκλεες, ἀμφὶ τυράννοις κ. τ. λ.

secundo versu etiam Leonis sententia quam contra Welckerum protulit (p. 173) scilicet solem post peractum facinus iter vertentem a tragoediae principibus in litteras inductum esse evidenter confirmatur. cf. Acc. Atr. frg. 13 v. 223 sq. quod mea sententia ad nihil aliud referri potest nisi ad prodigium illud.

Non erat alienum a nostro proposito quod in antecedentibus longius exspatiati de Ennio Accioque disputavimus. nam si de eorum Thyestae et Atrei exemplaribus recto iudicio utimur, paullo confidentius fabulam Annaeanam aggredi nobis licere opinor. ineamus igitur certamen eam viam ingredientes, ut primum explicemus quibus in rebus Seneca ab antiquis fabulis differat, deinde in quibus cum illis congruat.

In Euripidea fabula, ut iam diximus, Thyestes sponte sua in patriam venit[1]) mala consilia perfecturus. atque Sophoclem simile quiddam finxisse — quamvis singula ad aliam rationem direxerit, sicut haud dubie Thyesten pannosum non induxit — concludere possis ex Accii frg. 3 v. 199:

iterum Thyestes Atreum adtrectatum advenit,
iterum iam adgreditur me et quietum exsuscitat e. q. s.

itaque apparet a Thyestae reditu utramque fabulam initium cepisse, dein Atreum de fratris insidiis certiorem factum illa poena eum afficere constituisse. ab hoc ordine Senecam magnopere recedere notum est.[2]) in exordio enim

---

[1]) etiam apud Aeschylum Thyestes ultro ex exilio rediit, cf. v. 1557 sq., ubi Aegisthus narrat patrem reversum ut *προστρόπαιον* ad focum profugisse.

[2]) cf. Sandstroem. l. c. p. 86 sq. nominare tantum eum debui. neque enim satis accurate in totam materiam inquisivit.

Furia Tantali umbram ab inferis adducit ut 'furorem in domum dividat' (v. 1—121), quo Atreus correptus paullo post nefarium init consilium Thyesten qui exulans nihil molitur eiusque filios dolo arcessere, ut petat ab eo crudelissimam omnium poenam ob scelera prius commissa (v. 170—335). simulat igitur velle se in gratiam cum fratre redire: mittit filios suos Agamemnonem et Menelaum qui oblata regni parte Thyestae persuadent ut redeat. reverso dein fraudulenterque benigno vultu excepto mactatos filios apponit e. q. s. (inde v. 491 usque ad finem). quomodo factum est, ut praeter alia multa personarum quoque mores mutati sint. exceptis nempe prioribus delictis prorsus innocens est Thyestes: vitam agit integram nec ullo modo regnum appetit (v. 404—543). Atreus autem summa ira in fratrem inflammatus iniuria opinatur illum se regno privare velle (v. 176 sq.; 289 sq.) falsisque criminibus eum insimulat v. 1104 sq.

Haec omnia ita se habere, ut e Senecae ingenio orta esse nequeant cum per se patet tum eo ostenditur quod Hygini fab. 88 fere idem tradit, nam Hyginum e Senecae tragoediis hausisse, ut Welckerus p. 361 et 367 dicit, nemo iam arbitrabitur, cum plane inauditum sit spectasse illum novissimam tragoediam Romanam; nec minus Braunii sententia (Mus. Rhen. 32 p. 79). Hygini fabularum rationem habuisse Senecam, exploditur. legimus enim hoc apud Hyginum: *Atreus Pelopis et Hippodamiae filius cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exequi in gratiam cum eo rediit*[1]) *et in regnum suum eum reduxit, filiosque eius infantes Tantalum et Plisthenem occidit* — (cf. fab. 244 ubi eadem nomina commemorantur). in sequentibus narrat Hyginus Pelopiam foede a patre compressam Aegisthum peperisse qui ab Atreo pro suo educatus sit, deinde pergit *interim Atreus mittit Agamemnonem et Menelaum filios ad quaerendum Thyesten qui Delphos petierunt sciscitatum* e. q. s. consentiunt igitur, licet nihil

[1]) fab. 258 paullo aliter res enarratur.

referat, etiam in eo quod Seneca duos Thyestae filios pariter nominat, nam tertio ut puero muto nomen non imponit.[1]) cf. scaenae inscr. ad v. 404 et v. ipsos 718; 726; 731. quid igitur, inquis, de auctore censes? recentiorem poetam Graecum fuisse qui fabulam mutaverit nemo est quin intellegat, siquidem Robertus et Wilamowitzius nihil a poetis Latinis genuinum Hyginum mutuatum esse recte statuerunt.

De Seneca vero quod additurus sum vereor ne nimium me vidisse putes. subit enim animum cogitatio, secundum Varium, cuius Thyestes nobilissima fabula ab eo non respici non potuit, Senecam illam fabulae formam sibi adscivisse. Atreus enim Annaeanus, ut breviter repetam, subito furere coepit et fratrem absentem ulcisci cupit non aliam ob causam, quam ne ullo modo ab illo possit praeoccupari. et quamvis summa animi in perturbatione versetur, attamen quam consulte, quam dolose callideque facinus persequitur indignum! irascitur quidem Atreus in antiquis quoque tragoediis, sed non plane sine causa: postquam enim sibi persuasit fore ut Thyestes se aggrediatur, iratus ultioni indulsit quae collata cum poena in Annaeana fabula minus crudelis est. apud Varium vero Atreum similiter atque apud Senecam moratum fuisse magis sentio quam demonstrare possum, quoniam id modo scio novum tragoediae genus in animorum concitatione depingenda, qua saeva et immania oriuntur, data opera versatum esse. atque ex uno quidem fragmento quod Varii esse affirmat Quintilianus III, 8, 45 (*neque enim quisquam est tam malus, ut videri velit. sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem scelestissimam non malitia, sed indignatione videatur audere: sic Atreus apud Varium 'iam fero, inquit, infandissima,*

[1]) tres filios etiam apud Sophoclem fuisse sed vocatos *Ἀγλαὸν Ὀρχομενὸν καὶ Κάλεον* testatur scholion in Eur. Orest. v. 812. ceterum constat Graecos tragicos pueris servisque nomina non dedisse. nominantur illi in argumentis, unde notitia in Hygini fabulas venerit. cf. Wilamowitz. Anal. Eur. p. 185 sq.

iam facere cogor') non multum colligi posse certum est, sed si illud opinioni meae non contradicere concedes, contentus ero.

Accedimus iam ad illa *πρόσωπα προτατικά* quae supra tetigimus, Tantali dico umbram et Furiam. quae inducuntur a Seneca, ut auditores facilius intellegant qui factum sit, ut Atreus subito commotus crudelissime in fratrem decernat saevire. monstra ea apud Sophoclem et Euripidem ita non processisse luce clarius est; potuerant quidem apparere apud eundem poetam de quo modo egimus. verum aeque — ne dicam magis — probabile est Senecam ipsum ut rhetorem id sibi excogitasse. etenim haud absimili modo in Agamemnone Thyestae umbram Aegisthum ad ultionem incitantem finxit et in Hercule (fur.) Iuno portenta inferna Herculem furore implere iubet (cf. ad hanc descriptionem Eur. Heracl. ubi Lyssa prodit et Ovid. met. IV, 417 sq.; Verg. Aen. VII, 323 sq.; memorabile dein mihi videtur quod Seneca scribit de ira II, 35, 3: 'quales sunt hostium vel ferarum caede madentium aut ad caedem euntium aspectus, qualia poetae inferna monstra finxerunt succincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda discordiamque in populos dividendam pacemque lacerandam deae taeterrimae inferum exeunt: talem nobis iram figuremus — (4) vel, si videtur, sit, qualis apud nostros:

sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum
aut scissa gaudens vadit Discordia palla

(cf. Aen. VIII, 702) aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.'

Aliud discrimen quod inter Annaeanam et antiquas fabulas intercedit extare mihi videtur in Sen. v. 223 sq.:

specimen antiquum imperi
fraude est adeptus, —

225: *est Pelopis altis nobile in stabulis pecus*
arcanus aries,

228: *cuius e texto novi*
aurata reges sceptra Tantalici gerunt;
possessor huius regnat, hunc tantae domus
fortuna sequitur.

ergo apparet aversatum esse Senecam veterem vulgaremque narrationem quae exhibet inter Atrei greges ortum esse agnum qui indicium imperii fuerit, cf. e. gr. Eur. Orest. 995; schol. in Or. v. 812 et 981 sq.; Accii frg. 8: Atr.: *adde huc quod mihi portento caelestum pater / prodigium misit.* utrum Seneca ipse mutaverit an alicunde petierit diiudicare non ausim.

His peractis comparemus, ut est propositum, Senecae versus cum fragmentis priorum tragicorum et circumspiciamus quibus in rebus cum Romanis eorumque exemplaribus ille consentiat.

Ac de Ennianis quidem certum est fere nihil ullum concentum pra se ferre nisi duo fragmenta incerta probabiliter huc relata (Enn. v. 378 sq.), de quibus infra disseram. maximam autem discrepantiam de reditu extare iam exposui; item preces Thyesteas alio pacto omnino tractatas invenies. apud Ennium enim Thyestes domum relinquit scelere cognito et coram choro fratrem execratur hisce gravissimis:

ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus,
latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro e. q. s.

multo lenius ac remissius idem Atreo adstante lamentatur in Sen. v. inde a 1006; inprimis conferatur v. 1074:

— *vota non facio improba,*
pro me nihil precabor et q. s.

1087: *causa, ne dubites diu,*
utriusque mala sit; si minus, mala sit mea:
me pete trisulco.

denique 1110: *vindices aderunt dei;*
his puniendum vota te tradunt mea.

Nec fragmenta Euripidia apte huc spectantia tantum praebent, ut sententia permultorum (Fabricii, Welckeri,

Hartungi al.) qui statuerunt secutum esse Senecam Euripidem, pro explorata possit haberi. et primum quidem argumento Welckeri dicentis auctore Euripide Senecae Thyesten 'squalida veste' indutum esse nihil magnopere tribuendum puto; nam in propatulo est miserum illum ita induci oportuisse, cum ab agresti tenuissimoque victu revocatus e longinquo venerit in urbem.

Iam iterum hic Hartungus impugnandus mihi est. Seneca enim inde a v. 404 Thyesten cum filiis redeuntem ita repraesentat, ut, cum Atrei promissis diffidat malumque praesagiat, regiae magnificentiam detrectet et vitam laudet humilem securamque. Tantalus filius regni spe elatus obloquitur. cui similem scaenam in Euripidea tragoedia exhibitam esse suspicatus est Hartungus conlatis frg. 399 N; 396 quod afferam, quia id infra nobis iterum tangendum est:

εἰ δ᾽ἄτερ πόνων
δοκεῖς ἔσεσθαι, μῶρος εἶ, θνητὸς γεγώς.

denique frg. 401.[1])

Hoc fieri omnino posse eo audacius negamus quo certior nobis est sententia Euripidis tragoediam ita conformata infuisse ut p. 59 sq. ostendimus (anxius Thyestes Euripideae tragoediae indoli minime convenit); quare alio in loco fragmenta illa extitisse iudicabimus; fortasse Welckerus recte vidit duo illa priora esse e conloquio quod Atreus habeat cum Thyesta. digna vero quae commemorentur sunt fragmenta quaedam e Proagone Aristoph., ubi Euripidis Thyestes irridetur (trag. com. frg. ed. Kock. vol. I. p. 510)

fr. 461: *ἐγευσάμην χορδῆς ὁ δύστηνος τέκνων.*
πῶς ἐσίδω ῥύγχος περικεκαύμενον.

462: *οἴμοι τάλας, τί μου στρέφει τὴν γαστέρα;*
βάλλ᾽ ἐς κόρακας· πόθεν ἂν λάσανα γένοιτό μοι;

---

[1]) duo alia fragmenta ab illo viro docto citata huc non pertinent, sunt enim ex Eur. Cressis, fr. 464/5.

et Sen. v. 999:

quis hic tumultus viscera exagitat mea
quid tremuit intus? sentio impatiens onus.

1041: *volvuntur intus viscera et clusum nefas*
sine exitu luctatur et quaerit fugam.[1])

(praeterea conferre velim v. 910: *vino gravatum fulciens laeva caput / eructat.*[2])

Ex hoc uno loco meo quidem iudicio non colligi debet, id quod Habruckerum fecisse video (quaest. Annaean. p. 34 sq.), totam Senecae Thyesten nihil esse nisi Euripidiam repetitam. quamquam non infitiabor utrumque locum inter se persimilem esse libenterque concedo Senecam Euripideos versus hic respexisse.[3])

E Sophoclis dramate unum tantum idque certum fragmentum traditum est: 137 N:

μὰ τὴν ἐκείνου δειλίαν, ᾗ βόσκεται,
θῆλυς μὲν αὐτός, ἄρσενας δ'ἐχθροὺς ἔχων.

quod Atreus iactat, postquam Thyesten reversum esse

---

[1]) istos versus cum Aristoph. iam composuit Ed. Mueller, geschichte der theorie der kunst der alten I p. 262 (cit. a Welckero Tr. Gr. p. 685.

[2]) cf. Manil. V, 462. *ructantemque patrem natos solemque reversum.*

[3]) haec iam dudum scripta erant cum Braunii accepi commentationem *der Thyestes des Eurip.* Vesaliae 1882. in quam me non prius incidisse non aegre fero cum Braunio fere nusquam adsentiar. in initio enim, ut breviter referam, disputavit de Cressis fab. a Thyesta separanda et vindicavit ei in calce commentationis hoc argumentum: Aerope a Thyesta corrupta agnum aureum ei comparat, Atreus autem imperio recepto fratrem depellit et de Aeropa supplicium sumit. sed Braunius operam perdidit ignorans Wilamowitzium scripsisse analecta Euripidea, ubi de Cressis rectissime iam iudicasse virum illum doctum invenire potuit. item vel inde quod apud Senecam Aerope non prodit concludit illum Euripidis Thyesten imitatum esse, cuius ordinem sententiarum plane ex Annaeana refingere conatur (id quod iam Hartungus, etiamsi quaedam aliter institueret, fecit; hunc quoque Braunius non novit). at cum iam quae velim e tota disquisitione mea intellegantur, hic adversarii refutare sententias me supersedere posse puto.

comperit. praeterea e schol. ad Eur. Or. v. 812 discimus Atreum Aëropen in mare praecipitasse. denique duo extant incerta fragmenta quae Atreo fabulae addicenda esse v. d. coniecerunt, Sophoclis dico frg. 668 (ad prius pertinens prodigium quo Atreus regnum recuperavit, quod Seneca omnino non respexit) et eiusdem inc. frg. 806 a Welckero Tr. Gr. p. 362 huc relatum.

Multo vero maiorem habemus numerum fragmentorum Accianorum cum quibus Senecam conspirantem videmus. maxima enim, ut ab hac ordiamur, in eo cernitur similitudo quod Atreus meditans in fratrem poenam cum satellite apud Senecam, apud Accium cum homine nescio quo familiari mala sua consilia communicat. quam scaenam a Sophocle praebitam esse ut asseveremus Accii reliquiae nobis suadent.[1]) et Seneca meliorem certe opportunitatem nancisci nequivit ut more suo verbosam declamationem insereret. en habes tyrannum saevo ingenio aequi impatientem, obloquentem aliquem et iuris pietatisque monentem, utrumque in contrariam partem disserentem. quae cum ita sint similes sententias a duobus illis poetis Romanis eundem locum exprimentibus in medium prolatas esse cur miremur causa non est. sed ut ipse feras iudicium, omnes versus iam a Ribbeckio comparatos, quamvis pigeat chartam ita perdere, adponam. Acc. frg. 3. v. 198 sq.:

Atr. *Iterum Thyestes Atreum adtractatum advenit,*
iterum iam adgreditur me et quietum exsuscitat:
maior mihi moles, maius miscendumst malum,
qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

componuntur cum Sen. v. 192:

age, anime, fac quod nulla posteritas probet,
sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas
atrox, cruentum, tale quod frater meus
suum esse mallet —

---

[1]) Accium eam suo Marte finxisse vix quisquam contendet.

199: *novi ego ingenium viri*
indocile: flecti non potest — frangi potest.
proinde antequam se firmat aut vires parat,
petatur ultro, ne quiescentem petat.

quos versus contemplati animum inducere non possumus ut Senecam secundum Accium eos finxisse cum Ribbeckio credamus. nihil enim deprehenditur nisi sensus quodam modo utrique communis. accedit etiam quod Seneca de Thyestae reditu aliam fabulam est secutus.

Atreus tyrannus familiari monenti eum ne superbia saevitiaque in Thyesten grassatus in odium offensionemque civium irruat respondet (fr. 5): *oderint, dum metuant.* iisdem causis usus est Seneca v. 204 sq.

Satell. *Fama te populi nihil*
adversa terret? Atr. *Maximum hoc regni bonum est,*
quod facta domini cogitur populus sui
tam ferre quam laudare. Sat. *Quos cogit metus*
laudare, eosdem reddit inimicos metus.
211: Atr. *Laus vera et humili saepe contingit viro,*
non nisi potenti falsa. quod nolunt velint.

de quibus Ribbeckius quidem haec iudicat 'Seneca hat sich die Gelegenheit einer variation nicht entgehen lassen.' sed si ita est, notum est vocem illam proverbii loco in omnium ore fuisse quam Seneca ipse in pedestribus libris haud ita raro adhibuit (v. supra p. 15 sq.).

Fortasse huc referri debent Acc. frag. inc. 1 v. 651:
multi iniqui atque infideles regno, pauci benivoli
et Enn. inc. frg. 36 v. 379:
quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit
et 38: *nulla sancta societas / nec fides regni est*
a Ribb. Tr. R. p. 202 conlata cum Sen. v. 215:

Satell. *Ubi non est pudor*
nec cura iuris sanctitas pietas fides,
instabile regnum est.

eiusmodi sententias eo usque Seneca adamavit ut ubicumque ferri possent eas adhiberet. cf. e. gr. Oed. 703 sq.;

Phoen. 654—64; de ira II, 11, 3; ep. 105, 4. hoc pluribus exemplis docere velle est λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν.

Odium suum excusaturus Atreus (frg. 6—8) explicat quae impie frater in se commiserit:

frg. 6: *qui non sat habuit coniugem inlexe in stuprum.*

8: *adde huc quod mihi portento caelestum pater*
prodigium misit, regni stabilimen mei,
agnum inter pecudes aurea clarum coma
quondam Thyestem clepere ausum esse e regia,
qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.

atque in eadem re aequo modo Sen. v. 221 sq.:

quid enim reliquit crimine intactum aut ubi
sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit
regnumque furto: specimen antiquum imperi
fraude est adeptus.

227: *huius per omne corpus effuso coma*
dependet auro, cuius e texto novi
aurata reges sceptra Tantalici gerunt; e. q. s.

234: *hunc facinus ingens ausus assumpta in scelus*
consorte nostri perfidus thalami avehit. e. q. s.

hos v. Annaeanos Ribbeckius citare tantummodo satis habet, non exscribit. et recte fecit; nam quibus aliis verbis Seneca rem exornare potuerit non video. ac de prodigio ab eo alio modo narrato conferas huius commentationis p. 67 sq.

Sequentia frg. 9 et 9 b. ex Atreo petita esse coniecit Halmius (cf. Ribb. adn. crit.) eumque Ribbeckius sine ulla dubitatione sequitur.[1]) haec leguntur:

9: *vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis.*

9 b: *id quod multi invideant multique expetant inscitiast*
postulare, nisi laborem summa cum cura ecferas.

---

[1]) eiusdem sententiae fuit Janus Broukhusius. in Scriveri enim 'collectan. vet. trag.' editione quae quondam fuerat Broukhusii, nunc extat in thesauris bibliothecae huius universitatis, p. 106 in Acc. Atrei frgm. manu illius viri docti inveni adnotatum: *forte an et hi, apud Cic.*

quae, siquidem sint Thyestae ('quae, inquit Cicero pro Plancio 24. 59, ille a Jove ortus suis praecipit filiis — scripsit non ut illos regios pueros qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret') ostendunt Thyesten, virum illo loco gravissimum se praestantem cum filiis conloquium habuisse gravibus sententiis instructum. atque hanc ob rem fragmenta illa cum Senecae v. 403—490 possunt componi. ubi Thyestes cum filiis prodit. ceterum a Seneca, ut p. 65 vidimus, alii mores Thyestae dati sunt. ille quem fragmenta repraesentant minime regnum recusare et solitudinem secretumque praeferre videtur, cautus est providensque, non anxius.

Ad nuntii narrationem, quo modo Atreus nefariam illam cenam paret, pertinet frg. 12:

concoquit | partem vapore flammae, veribus in foco
lacerta tribuit

quocum conferri possunt nuntii verba Annaeani eandem rem plenissime — more nimirum Senecae solito — describentis v. 765—70:

haec veribus haerent viscera et lentis data
stillant caminis, illa flammatus latex
candente aeno iactat. impositas dapes
transiluit ignis inque trepidantes focos
bis ter regestus et pati iussus moram
invitus ardet. stridet in veribus iecur;

---

orat. pro Plancio c. 24 *'vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis. Non te id quod multi invideant.' quae ibidem leguntur orat. pro Sextio C. 48. atque hoc quidem paullo plenius.* — num vero fieri possit quin fragmenta illa alii cuipiam fabulae quam uni Atreo addicamus haud confidenter licet pronuntiare. certe Graeca illa fragmenta quae ad sententiam confirmandam adtulit Ribbeckius (adn. crit.) nullius sunt momenti. sunt enim haec: Eur. Cress. fr. 464. et Thyestae fr. 396, sed conferas quaeso quod supra p. 69 sq. exposui. quibus similia et alias inveniuntur, veluti Theodect. frg. 11 N: *πολλὰ δεῖ | μοχθεῖν τὸν ἥξοντ' εἰς ἔπαινον εὐκλεῶς*· cf. Menandr. monost. 338; Publilii Syri sent. 617 R.

totum hunc locum redire ad Ovidianam de Ity mactato narrationem Ribbeckius, quamquam ipse eam adtulerit, non intellexisse videtur. illam nempe a Seneca respectam esse patet e met. VI v. 645: *pars inde cavis exultat aenis / pars veribus stridunt.* cf. etiam v. 636: *nec mora, traxit Ityn, veluti Gangetica cervae / lactantem foetum per silvas tigris opacas.* et Sen. 707: *ieiuna silvis qualis in Gangeticis, inter iuvencos tigris erravit duos* e. q. s. (totam imaginem repetiit e met. V, 164 sq.); praeterea conferas Sen. v. 56: *Thracium fiat nefas;* v. 272: *vidit infandas domus Odrysia menses;* item v. 260 et Ov. met. VI, 617 sq. inspicias, porro Ovidii et Senecae versus cenam describentes.

Ad eundem Ovidii locum (v. 665) se applicasse Sen. Agam. v. 26 (cf. Acc. frg. 14) supra commemoravi; e Thyesta huc spectant v. 1090: *si natos pater / humare et igni tradere extremo volo, / ego sum cremandus.*

Dum Thyestes impia dape filios comedit, sol iter vertit subsecuto caeli tonitru, quo chorus perterritus canit (frg. 13):

sed quid tonitru turbida torvo
concussa repente aequora caeli
sensimus sonere?

apud Senecam etiam chorus, postquam ille nuntius iam ineunte orat. v. 637 et extr. v. 776 sq. solem retrocessisse nos docuit, de prodigio canit inde a v. 789 usque ad 884. ad fragmenti autem tenorem propius accedunt Thyestae verba. ille enim cum fratri iubenti eum funestum haurire poculum, quod sanguine puerorum mixtum erat, obsecuturus manus parere nolle subito sentiat, exclamat:

985: — *sed quid hoc? nolunt manus* —
987: *admotus ipsis Bacchus a labris fugit* —
990: *vix lucet ignis; ipse quin aether gravis*
inter diem noctemque desertus stupet.
quid hoc? magis magisque concussi labant
convexa caeli; e. q. s.

de imitatione hic non cogitandum esse expressis verbis pronuntiare non est opus.

Consideremus deinceps frg. 15:

Thyestes: *fregisti fidem.*

Atr: *Neque dedi neque do infideli cuiquam . . . .*

et Sen. 1024 sq.:

Th. *Hoc foedus? haec est gratia, haec fratris fides?*
sic odia ponis? e. q. s.

Atreus v. 1030 respondet: *Quidquid e natis tuis*
superest habes, quodcumque non superest habes.

atque Thyesten quidem Annaeanum iure meritoque Atreum foederis rupti incusasse per se intellegitur. fide enim data ab Atreo arcessitus redierat et ipse dein suae ipsius fidei obsides dederat filios (v. 520). sed apud Accium simili pacto eum queri debuisse e rerum natura consequens est; nam gratia inter fratres non reconciliata Thyestes prorsus non ad cenam illici potuit.

Denique cum frg. 17:

egone Argivom imperium adtingam aut Pelopia digner domo?
quo me ostendam? quod templum adeam? quem ore funesto adloquar?

comparo Thyestae verba 1036: — *quas miser voces dabo*
questusque quos? quae verba sufficient mihi?
abscissa cerno capita . . .

('ore funesto' reperis Sen. v. 779: *lancinat natos pater*
artusque m a n d i t[1]) *o r e f u n e s t r o suos*)

quibus ne commovearis ut Senecam hic ad Accii fabulam rediise opineris haudquaquam vereor.

Iam ad calcem tragoediarum delati sumus. quae quo modo ab Accio instituta fuerit coniectura tantum assequi possumus. in Sophoclea fabula exeunte Aerope, ut quae iterum scelere proditionis cum Thyesta commissae se adligaverit vel in eam suspicionem venerit, Atrei iussu

---

1) frg. 16: *ipsus hortatur me frater, ut meos malis miser manderem natos.* cf. Ribb. adn. crit.

in mare deiecta videtur esse. ac si scaenam istam ab Accio quoque probabiliter fictam fuisse concesseris, fieri posse mihi videtur, ut fragmentum 18: *ecquis hoc animadvortet? vincite!* Atreo detur iubenti de coniuge corrupta illud sumi supplicium — eodem nimirum iure fragmentum istud huc referri posse censeam quo Ribbeckius Atreum de Thyeste id pronuntiasse arbitratur. Thyesten igitur in exilium migrasse cum Welckero contra Ribbeckium statuerim.

Nihil horum apud Senecam. postquam enim Thyesten summo dolore, gaudio Atreum affectos vidimus fabula finitur versibus hisce:

Th. *Vindices aderunt dei;*
his puniendum vota te tradunt mea.
Atr. *Te puniendum liberis trado tuis.*

Haec de Accianis fragmentis; reliqua tam certa quam incerta, cum ad Annaeanam fabulam explicandam inania sint, praeteribimus. at ex iis quae comparata sunt evincitur oeconomiam fabulae suae Senecam in quibusdam partibus simili modo instituisse quam Accii Atreus videtur habuisse. sed cum iam pro certo habeamus non imitatum esse Senecam priorem illum tragicum Romanum, verisimillimum nobis est eum secutum esse eundem auctorem quem Accium, id est Sophoclem. haec non ita accipi velim quasi dixerim unam Sophoclis fabulam tractandam eum sibi sumpsisse, immo nonnulla ex Euripidia esse deprompta libenter concesserim; praeterea id quod iam demonstrasse mihi videor alii tragoediae nescimus cuius, putamus Varii, curam dedit.